







IN NUMISMATA

ÆREA


MAXIMI MODULI

COMMENTARII.



AFaldoni Sculp.

IN NUMISMATA
ÆREA SELECTIORA
MAXIMI MODULI
E MUSEO
PISANO OLIM CORRARIO
COMMENTARII.



IN MONASTERIO BENEDICTINO-CASINATE
S. Jacobi Pontidæ Agri Bergomatis
APUD JOANNEM SANTINUM SUMPTIBUS SOCIETATIS
ANNO MDCCXL. SUPERIORUM PERMISSU.

DUX SERENISSIME



Onſideranti mihi, ut ſæpenumero ſoleo, multa & magna tua in me beneficia, DUX SERENISSIME, *ac magnopere dolenti, nullam adhuc contigiſſe ſignificandi grati animi occaſionem, novum acceſſit munus, quo non tantum Liberalitati Tuæ indulgere voluiſſe, verum etiam officio meo conſulere, merito viſus es. Siquidem, quum me veterum Nummorum ſtudio aliquatenus deditum intellexiſſes, Volumen illud inſigne dono miſiſti, quod* NUMISMATA

ÆREA

ÆREA SELECTIORA MAXIMI MODULI E MUSEO PISANO OLIM CORRARIO *typis elegantiſſimis repræſentat. Ad priſtina eaque ſacra ſtudia, quorum gratia hujuſmodi antiquitatis monumenta colueram, reditum me molientem occupavit hoc beneficium, rurſumque ad Numiſmata convertit. Lubens itaque ad eadem explicanda totus incubui: at mox imparem huic oneri me ſenſi; idque abjeciſſem, niſi fama jam manaſſet, adeoque neceſſitati parendum eſſe duxiſſem.*

Gratum propterea aliquid profiteri quum optaſſem, DUX SER.ME, *omnibus nunc precibus oro & obteſtor, ut, quum minus digna ipſis Numiſmatis, ac multo minus digna* TE PRINCIPE *profero, non ſolum mihi veniam, ſed etiam huic operi patrocinium benignus impertias. Dicandum illud Tibi fuit, quippe de re tua agitur, deque Auguſtis Viris, quos nonniſi Auguſto Viro ſiſtere oportebat. Nec vero de tua Clementia dubitare mihi fas eſt: nam ceteras Virtutes in Te mirari, Humanitatem experiri univerſi ſolemus.*

Tanta eſt tua in Deum PIETAS, *ut exemplo venerationis tuæ impenſius ab aliis etiam colatur. Et, quod omnino cum Dei immortalis religione conjunctum eſt, magna quoque in Propinquos, maximaque in Patriam* PIETATE *ſemper fuiſti.*

Inter reliquas autem Virtutes, quarum cumulo OPTIMUS *diceris, celebratiſſimæ ſunt Clementia atque Munificentia. Manet Tibi* PRINCIPI *quæ prior oris humanitas: faciles aditus, aures patientiſſimas, benigna reſ-*

responsa præbes; beneficia congeris; largaque manu foves & auges; nihil ut in te mutarit honoris amplitudo, nisi ut magis prodesses.

Tua porro in Patriam merita non est meum adtingere laudibus; maxima illa sunt, & a Maxima Rep. commendata. Vitam, ex quo per ætatem licuit, in publicum instituisti, perfungendisque in Patria & pro Patria muneribus perpetuo traduxisti. Celeberrimæ sunt, & adhuc in omnium ore Legationes tuæ ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem, ad Annam Britanniæ Reginam, ad Carolum VI. Imperatorem. MAGNI SAPIENTIS *summum in Patria Officium ita per plures annos peregisti, ut vere Magnum, vere Sapientem te ipsum exhibueris. Pari cura* TRIUMVIR LITTERARIUS, *(quo nomine ac munere præcipui in Rep. Viri gaudere multum solent), Litterarum studia fovisti. Brevi supremos in Maxima Rep. Magistratus diu ac magna semper cum dignitate publicaque utilitate gessisti, tantum illis præstans honoris, quantum accipiebas. Hinc PRINCIPEM Te statuit grata Resp.; Pater Patriæ eras, antequam fieres; ac citius Principatum iniisses, nisi bono ipsius Reip., quæ tua adhuc egebat opera, dilatus honor fuisset.*

Communis itaque FELICITATIS *auspex dies, qui Te primus inauguravit Principatui. Fructum maximum cepisti maximorum operum; nec minorem reddidisti; summum nempe Familiæ tuæ addidisti decus, Patriamque ac nos omnes beasti. Profundissima etenim pace rebusque omnibus licet florentes accessu Majestatis tuæ*

red-

reddidisti feliciores: &, quum præsentibus magna cum voluptate fruamur, jucunditatem auget spes haud incerta futurorum. DEUS *itaque* OPT. MAX. *det Tibi, SER.ME PRINCEPS, ætatem incolumitatemque, quas mereris; eatque in immensum felicis cursus Principatus, quem Virtutibus ac meritis quemadmodum es consecutus, ita tenes & ornas.*

SERENITATIS TUÆ

Ex Monasterio Pontidæ Non. Maji Anno MDCCXL.

Humillimus Obsequentissimus Addictissimusque Famulus
D. Albertus Mazzolenus Benedictino-Casinas.

BENIGNE LECTOR.



On multum heic ego Te moror, ne benevolentia patientiaque tua, quibus in toto opere plurimum egeo, quasque enixius exoro, abuti videar. Monitum Te solum volo, eas quæstiones, quæ prolixius examen requirunt, me ab his *Commentariis* secrevisse, & in aliud congessisse corpus. Qua in re tum rationi ipsorum *Commentariorum*, qui latiorem diffusioremque tractatum haud admittunt, satisfactum, tum etiam meliori ordini consultum credidi. Ipsum autem corpus, quod *Animadversionum* nomine donare placuit, brevi habebis; in promptu etenim est. Interim judicium de ejusmodi quæstionibus, quæ modo vix adtinguntur, seu potius solum innuuntur, illuc reserves, benigneque demum pro tua humanitate feras, precor. Quod si, quæ animadversione aut castigatione digna censebis, amice ac benevole monueris, magno me certe beneficio adficies; ego vero non tantum gratiam habebo, sed etiam referam, edoctusque memet corrigam. Vale.



D. JOSEPH MARIA A PAPIA

Congregationis Benedictino-Casinen. Abbas Præses.



Um Opus inscriptum = *In Numismata Ærea Selectiora Maximi Moduli e Museo Pisano olim Corrario Commentarii* = ab Admod. R. P. D. Alberto a Bergomo Congregationis Nostræ in Pontidensi Divi Jacobi Cœnobio Claustrali Priore concinnatum duo ex nostris Theologis ad id specialiter delegati sedulo perlegerint, nec quidquam in eo Orthodoxæ Fidei moribusve absonum sese offendisse, scripto testimonio adfirmarint, idem publici juris fieri, quo ad nostrum interest, hisce permittimus.

In Ferrarien. Divi Benedicti Ædibus nostris Kalendis Januariis MDCCXL.

D. Joseph Maria a Papia Abbas, et Præsid.

Loco † Sigilli.

D. Benedict. Jo. a Mantua Pro-Cancell.

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padoa.




Avendo veduto per la Fede di Revisione, & Approbatione del P. Fra Pio Enrico Martinengo Inquisitore di Bergamo nel Libro intitolato: *In Numismata Ærea Selectiora Maximi Moduli e Museo Pisano olim Corrario Commentarii*, non v'esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Prencipi, & buoni costumi, concedemo Licenza a Gio: Santini Stampatore nel Monistero di Pontida di Bergamo, che possi esser stampato, osservando gl' ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Pubbliche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. li 27. Giugno 1740.

Z. Pietro Pasqualigo Ref.
Gio: Emo Proc. Ref.
Lorenzo Tiepolo Cav. Proc. Ref.

Agostino Bianchi Segretario.

COM-



COMMENTARII
IN NUMISMATA PISANA.

TAB. I.

Caput Herculis, ſpolio leonis tectum.
Caput Gryphi.



Erculis caput ſpolio leonis ornabant veteres, quia *Leonem Nemæum*, quem Luna nutrierat, necaſſe ferebatur: (*a*) *cujus pellem pro tegumento habuit*. At hæc fabulabantur: quemadmodum & *Gryphas aurita aduncitate roſtri*, prout in parte numiſmatis poſtica conſpicere eſt, *fabuloſos* retur Plinius (*b*). Alii in Æthiopia (*c*), alii in India (*d*) fuiſſe hujuſmodi aves, eaſque Soli ſacras, magnitudine & viribus Leonibus pares, Elephantis etiam ac Draconibus ſuperiores autumabant. Gryphi figuram, quæ in nummo eſt, ita optime deſcribit Vadianus.

Igne micant oculi, curvatur acumine roſtrum,
Sibilat & grandi lingua retorta ſono.
Fulta toris cervix præacutis auribus exſtat,
Fronſque minax acris ſigna vigoris habet.
Horreſcunt villis armi criſpantibus atri:
Et nodum hirſuto turbine finis habet.

(*a*) Hygin. in Fabul. num. XXX.
(*b*) Lib. X. c. 49.
(*c*) Id. ibid.
(*d*) Philoſtr. in Vit Apollon. Lib. III. cap. 14.

T A B. II.

Num. I.

Caput biceps, bovino capite pileoque ornatum,
Litteræ, ut videntur, Etruſcæ, intermediis quatuor globulis.



Aput biceps, quod in parte numiſmatis hujus antica videtur, Jani eſſe poteſt, *Solus (a) de Superis qui ſua terga videt*. Ferebatur porro *Janus*, Γανὸν νόμισμα χαλκῦν πρῶτον χάραξαι κ. λ. (*b*) *nummum æreum primus ſignaſſe: qua de cauſſa civitates in Græcia multæ, Italia & Sicilia monetam cudebant impreſſa bicipiti facie*. Hæc autem facies Jani biceps ſæpius ſenilis & barbata, modo juvenilis & ſine barba, ut in hoc numiſmate, quandoque etiam hinc ſenilis & barbata, inde juvenilis & ſine barba conſpicitur in nummis. Ita etiam modo cum pileo occurrit, modo ſine pileo. At vero caput bovis intermedium nonniſi in hoc ipſo numiſmate videre mihi hucuſque licuit, adeo ut, quum temporis injuria læſum ipſum numiſma aliunde etiam dignoſcatur, veroſimile ſit, figmentum, [abſit verbo invidia], eſſe pictoris, qui ex auribus & capillis caput bovis effinxerit: quod facile credent, qui hujuſmodi numiſmata tractarunt. Alucinatum quoque ipſum pictorem in dignoſcendis delineandiſque partis nummi poſticæ litteris, pronum eſt credere: litteram quippe, non vero cornucopiæ primo loco alii nummi præferunt: & quæ ſecundo ac tertio loco habentur, aliter in aliis nummis exhibentur. Exſtant in Muſeis, proſtantque typis edita hujus generis numiſmata, iiſque, quæ Etruſca habentur, tum aliis antiquitatis Etruſcæ monumentis, inluſtrandis & explicandis operam bono Reipublicæ litterariæ dederunt præter alios Viri Cl. atque eruditiſſimi Dempſterus, Bonarota, & Gorius. Lucem magnam obſcuriſſimis ceteroquin hujuſmodi rebus adtulit Dempſterus (*c*): at majorem adhuc adfudêre Bonarota (*d*) & Gorius (*e*): quos non tantum honoris, verum & amicitiæ cauſſa nomino. Quare Lectorem ad eos remitto, apud quos videre poterit tum bicipitis faciei, tum litterarum ac globulorum explicationem: ipſa etenim biceps facies non tantum Janum,

(*a*) Ovid. Lib. I. Faſtor. v. 66.

(*b*) Draco Corcyr. Lib. de Lapid. apud Athenæum Lib. XV. Dipnoſophiſt. pag. 692.

(*c*) In Hiſt. Etrur.

(*d*) In Explic. & conject. ad Monum. Etruſca Dempſt. addita.

(*e*) In Muſeo Etruſco.

num, ſed vel urbis, cujus eſt nummus, magiſtratum (*a*), vel aliquid aliud ſignificare poteſt: & litteræ (*b*) *Velitras*, nobile Volſcorum in Latio oppidum, hodie *Velletri*, deſignare videntur. Quæ, quum nondum tamen certa, indicaſſe nunc ſufficiat. Innuimus quoque, exſtare in Muſeo Arigonio (*c*) numiſma inſigne cum bicipiti pariter Jani facie, altera ſenili & cum barba, juvenili altera & ſine barba, pileo utramque tegente, in parte priori: in poſteriori vero cum ſimili ei, de qua agimus, Epigraphe ac præterea cum litteris II. quæ dupondium ſeu duos aſſes denotant. Pendet autem uncias XII., unde cuſum adparet, quo tempore pondus aſſis ad VI. uncias redactum erat. De rebus *Etruſcis* optime, ſi quis alius, meritus eſt alter amicus iſq; *Doctiſ. ac Cl. March. Scipio Maffejus.*

(*a*) Bonar. ibid. §. XVI. pag. 21.

(*b*) Vide Gorium ibid. ubi *de Etruſcorum moneta*.

(*c*) Honorii Arigoni Civis Veneti, de quo alibi in hoc opere.

Vid. *Degl'Itali Primit. Ragion. & Della Nazione Etruſca &c.* To. 4. & ſeqq. *Oſſerv. Letter.* Veronæ 1739. & ſeq.

Num. II.

Caput galeatum.

Puppis ſeu roſtrum Ratis cum quatuor globulis.

MArtis caput heic ineſſe credimus, utpote qui effingebatur armatus lorica & ceteris armis, (*d*) *qui & galeam habebat in capite*. Eum ut bellorum præſidem Romani ceterique populi, qui bellis ſtudebant, præcipuo venerabantur cultu, & in nummis exhibebant. Quatuor globuli partis nummi poſticæ quatuor uncias ſeu trientem, qui tertia pars aſſis, denotant. Itaque *in* (*e*) *quadrante & triente Ratis fuit effigies, ut Navis in aſſe*. Erat porro in fabulis, Saturnum navi in Italiam advectum, hoſpitio exceptum a Jano fuiſſe. Hinc Ovidius (*f*) quum quæſiſſet, cur forma navalis ſignata ſit in ære, ita canit:

At bona poſteritas puppim formavit in ære,
Hoſpitis adventum teſtificata Dei.

„ Hic igitur Janus (*inquit Macrobius*,) (*g*) quum Saturnum „ claſſe pervectum excepiſſet hoſpitio, & ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum & rudem ante fruges cognitas victum in melius redegiſſet, regni eum ſocietate muneravit. „ Quum primus quoque æra ſignaret, ſervavit & in hoc Saturni reverentiam, ut, quoniam ille navi fuerat advectus, „ ex una quidem parte ſui capitis effigies, *ex altera vero navis* exprimeretur: quo Saturni memoriam in poſteros propagaret. *Ita fuiſſe ſignatum hodieque intelligitur in aleæ luſu*:

(*d*) Albric. De Deor. imagin.

(*e*) Feſtus.

(*f*) Lib. I. Faſt. v. 229.

(*g*) Lib. I. Saturn. c. 7.

(a) Navim alii legunt.

quum pueri Denarios in sublime jactantes capita aut navia, (a) *lusu teste vetustatis exclamant.*

Num. III.

Caput muliebre ornatum quatuor globulis, qui & in area nummi conspiciuntur.

ROMA. Hercules Centaurum clava percutiens. In ipsa area quatuor globuli.

(b) Vid. Com. in num. 3. Tab. VII.

(c) Hygin. Fab. XXXIII.

(d) Albric. de Deor. imagin.

(e) Id. ibid.

ROmæ caput est, quod in parte numismatis antica habetur: nam *& ipsa more Deæ* colebatur, (b) ac sacrificiis templisque honorabatur. Pars postica nummi Herculem repræsentat vim inferentem Centauro. Nam Hercules (c) quum in hospitium ad Dexamenum Regem venisset, ejusque filiam Dejaniram devirginasset, fidemque dedisset, se eam uxorem ducturum, post discessum ejus Erytion Ixionis & Nubis filius Centaurus petit Dejaniram uxorem. Cujus pater vim timens, pollicitus est, se daturum. Die constituto venit cum fratribus ad nuptias: *Hercules intervenit, & Centaurum interfecit, suam speratam abduxit.* Item aliis in nuptiis Perithous Hippodamiam Adrasti filiam quum uxorem duceret, vino pleni Centauri conati sunt rapere uxores Lapithis: eos *clava* (d) *pro majori parte mactavit* Hercules, unde reliqui timore perculsi fugerunt. *Centauris* (e) *enim, qui dicuntur esse semihomines & semiequi, denotantur homines carnali concupiscentia facti, ut bestiæ, qui virtute animi superantur.*



TAB.

T A B. III.

Num. I.

SENATUS ROMANUS.

ΙΕΡΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ. *Sacer Senatus*, capite nudo
ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ ΑΝΕΘΗΚΕ ΑΤΤΑΛΟΣ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Pro Victoria faciendum curavit Attalus Laodiceorum*. Victoria ſtans Cœlumque elata dextra indicans.



Ummus hic, ſi cum nummo quarto Tabulæ XX. tertioque vigeſimæ primæ, qui ſunt M. Aurelii Imp. conferatur, ad eadem tempora ſpectare, tum ex inſcriptione, cum ex hujuſmodi nummorum fabrica, facile dignoſcetur. Hinc alter apud Harduinum (*a*) occurrit ejuſdem Marci nummus cum ſimillima hac epigraphe, Π. ΚΛ. ΑΤΤΑΛΟΣ ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ ΑΝΕΘΗΚΕΝ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ: h. e. *Publius Claudius Attalus pro Victoria faciendum curavit Laodiceorum*. Sacri porro titulus, qui Senatui tribuitur, temporibus Marci adeo invaluerat, ut Martyr ipſe Juſtinus, ubi apologiam Christianæ Fidei Antonino Pio, M. ipſi Aurelio, Lucioque porrexit, ἱερᾷ τε Συγκλήτῳ, (*b*) *Sacro etiam Senatui* eamdem exhibuerit. Attalus itaque monumentum pro Victoria Imperatori ſtatuit & Senatui, morem ipſi Marco gerens ſimulque inſtitutum patrium ſervans; (*c*) *neque* enim *quiſquam Principum amplius Senatui detulit*, quam Marcus; & Aſia Proconſularis, in qua *Laodicea*, quum ex Auguſti diviſione regenda (*d*) *Senatui* commiſſa eſſet, peculiari obſequio hunc ſibi colendum propoſuerat, adeo ut Templum, quod Tiberio matrique ejus decrevit, *Senatui* (*e*) quoque dedicaverit. Quamvis autem *nomen* (*f*) *& ætatis mite Senatus erat*, quia tamen imperante Marco magnopere florebat, *nec* (*g*) enim *quemquam in eum ordinem legit, niſi quem ipſe bene ſciſſet*, virili florentique ætate heic illum repræſentari curavit Attalus. Quod ſi conjicere licet, Victoria, quæ in nummo eſt, quum Cœlum indicet, eo ſpectare poteſt, (*h*) quando exercitui, qui cum Marco in Quadorum regione pugnabat, ſiti oppreſſo, pluvia divinitus miſſa eſt; quum e contrario Germanos & Sarmatas fulmina perſequerentur, plurimoſque eorum inter-

(*a*) Oper. Sel. Pop. & Urb. p. 92.

(*b*) Apolog. II. in princ.

(*c*) Capitol. in M. c. 10.

(*d*) Dio Caſſ. Lib. LIII. p. 503. D.

(*e*) Tacit. Lib. IV. Annal. c. 15. & 56.

(*f*) Ovid. Faſtor. Lib. V. v. 64.

(*g*) Capitol. in M. c. 10.

(*h*) Euſeb. in Chron.

interficerent. Quemadmodum vero tum Romanus *Populus* (*a*) *adclamans Deo Deorum, ut qui ſolus potens, in Jovis nomine Deo noſtro teſtimonium reddidit*: ita Attalus in nummo, quem pro Victoria faciendum dedicandumque Marco curavit, Jovem, cui victoriam acceptam & ipſe referebat, exhibere non dubitavit. Laodiceæ autem in Phrygia, cujus Urbis nummos hujuſmodi eſſe credimus, ΖΕΥΣ ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ, (*b*) *Juppiter* ſub *Philalethis*, h. e. *veritatem amantis* cognomine colebatur: iſque eſt, quem expreſſum ab Attalo habemus in laudatis nummis, ſcilicet quarto Tabulæ vigeſimæ ac tertio ſequentis.

(*a*) Tertull. ad Scapul. c. 4.

(*b*) Hardu. p. 92. Oper. Sel.

Num. II.

M. ANTONIUS, OCTAVIUS CÆSAR, ET OCTAVIA.

M. ANT. IMP. COS. DESIG. ITER. ET TER. III. VIR R. P. C. *Marcus Antonius Imperator, Conſul deſignatus iterum & tertium, Triumvir Reipub. conſtituendæ*. Capita Antonii & Octavii jugata, Octaviæ vero adverſum.

M. OPPIUS CAPITO PROPR. PRAE. CLASS. Γ. *Marcus Oppius Capito Pro-Prætor, Præfectus Claſſis*, Anno *tertio*. Navis velo expanſo, cum triplici crure.



Ntonium heic cum Octavio Cæſare Octaviaque, Cæſaris ſorore & Antonii uxore repræſentari (*c*) credimus. Antonius autem *Imperator* dicitur, quum hunc titulum Mutinenſi bello adſciviſſet: quando non tantum Hirtius victo ipſo Antonio, ſed & Panſa, qui adverſum prælium fecerat, & Octavius, qui pugnæ non adfuerat, Αὐτοκράτορες ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν καὶ ὑπὸ τῆς βουλῆς ὠνομάσθησαν, (*d*) *Imperatores a militibus & Senatu appellati ſunt*. Dicitur vero *Conſul*, quum ſenior illum Cæſar, quo anno (*e*) Dictator hic quintum fuit, συνάρχοντα τὸν Ἀντώνιον προσελόμενος; (*f*) *conlegam* in conſulatu *adſumpſiſſet*. Occiſo poſtea Cæſare convenit inter Octavium, Lepidum, & Antonium, ut ipſi quidem τρεῖς πρός τε διοίκησιν καὶ πρὸς κατάστασιν τῶν πραγμάτων, (*g*) *Triumviri Reipub. conſtituendæ* præficerentur, non quidem in perpetuum, ſed in quinquennium, ita ut omnia ex ipſorum ſententia, etſi neque ad populum neque

(*c*) Vid. Animadv. de hoc num.

(*d*) Dio Caſſ. Lib. XLVI. p. 316. B.

(*e*) U. C. 710.

(*f*) Dio Caſſ. Lib. XLIII. p. 238. B.

(*g*) Id. Lib. XLVI. p. 326. E.

neque ad Senatum referrent, agere, magistratus etiam aliosque honores, quibus vellent, conferre possent: eaque re Romæ confirmata, magistratum iniere *A*nte (*a*) *D*iem V. *K*alendas DEC*embris* anni Urbis conditæ DCCXI. AD PR*idie* K*alendas* IAN*uarias* anni DCCXVII. Vivebat tum Fulvia Antonii Uxor, qua dein mortua, quum censerent (*b*) omnes, dandam esse Antonio Octaviam, Cæsaris Octavii sororem, sperantes fore, ut hæc mulier forma, moribus, ingenioque præstanti, una cum Antonio vivens, & ab eo, ut decens erat, amata, omnium rerum quies esset & salus, Romam profecti (*c*) Triumviri Octaviæ nuptias celebrarunt. Quum vero Siciliam teneret Italiamque infestaret Sextus Pompejus, pacem cum ipso inire coacti hinc sunt iidem anno U. C. DCCXV. ac tum ἀπέφηναν δέ τῆς ἐπιούσης Ὑπάτους ἐς τετραετὲς, Ἀντώνιον μὲν ϗ Λίβωνα πρώτους, (*d*) *designati sunt Consules in quadriennium, ante omnes quidem Antonius & Libo*, ut tamen Antonio liceret alium pro se substituere: post illos Cæsar & Pompejus, tum Ænobarbus & Sossius: εἶτ' αὖθις Ἀντώνιόν τε ϗ Καίσαρα, τρίτον δὴ τότε μέλλοντας ὑπατεύσειν: *deinde rursum Antonius & Cæsar, tertium tunc futuri* (*e*) *Consules*. Itaque ex eo tempore Consul *designatus iterum & tertium* inscribi cœpit Antonius. Oppius vero Classi Siciliæ, quæ hoc in nummo triplici crure pro figura insulæ designatur, præfectus est, Proprætoris munere decoratus. Egit autem Præfectum Classis per biennium, tertioque inito anno, quum dissidentes inter sese Antonium & Cæsarem reconciliasset Octavia, hanc ita cum illis repræsentavit in nummis, qualem se ab omnibus suspici Octavia ipsa tum Fratri dixit, (*f*) Αὐτοκρατόρων δυοῖν, τοῦ μὲν γυναῖκα, τοῦ δὲ ἀδελφὴν οὖσαν, *duorum* scilicet *Imperatorum, alterius quidem Conjugem, alterius autem Sororem*. Hinc Præfecturæ Classis Oppium cessisse credimus: quibus de rebus longius alibi (*g*).

(*a*) Inscript. Grut. p. CCXCVIII. i.

(*b*) Plutarch. in Anton. p. 929. E.

(*c*) Appian. Lib. V. Bell. Civ. p. 1127. al. 710.

(*d*) Id. eod. Lib. p. 1134.

(*e*) An. U. C. 723.

(*f*) Plutarch. in Anton. p. 931. E.

(*g*) In Animadv. de hoc num.



Num.

Num. III.

AUGUSTUS.

AVGVSTVS. Caput Augusti nudum.
C. A. *Cæsar-Augusta* in corona laurea.



Atus est Augustus (*a*) M. Tullio Cicerone & Antonio Coss. (*b*) IX. Kal. Octob. Infanti cognomen (*c*) Thurino inditum est, in memoriam majorum originis: vel quod in regione Thurina recens eo nato pater Octavius adversus fugitivos rem prospere gesserat. *Postea Caji Cæsaris & deinde Augusti cognomen adsumpsit*, alterum testamento majoris avunculi, alterum Munatii Planci sententia: quum quibusdam censentibus, Romulum appellari oportere, quasi & ipsum conditorem Urbis, prævaluisset, *ut Augustus* (*d*) *potius vocaretur*, non tantum novo sed etiam ampliore cognomine, quod loca quoque religiosa, & in quibus augurato quid consecratur, *augusta* dicerentur ab auctu, vel ab avium gestu gustuve, sicut etiam Ennius docet scribens: *Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est*. Cæsari itaque Augusto *Urbium* (*e*) *de mediterraneis in Hispania Tarraconensi clarissima Cæsar-Augusta*, effecta *Colonia* (*f*) *immunis* ab ipso Augusto, cujus proinde nomina adscivit: nam *antea vocabatur Salduba*, Plinio teste, nummum hunc cudit, dedicavitque lauream in eo coronam: quum & Romæ decretum esset, ut ante ejusdem Augusti palatium lauri ponerentur, ac super eas coronæ quernæ suspenderentur, ὡς καὶ ἀεὶ τοὺς τε πολεμίους νικῶντι καὶ τοὺς πολίτας σώζοντι, (*g*) *tamquam perpetuo hostium victori Civiumque servatori*. Expressit etiam ea, qua par erat, diligentia, ejusdem Augusti caput; forma enim is fuit eximia (*h*) & per omnes ætatis gradus venustissima, quamquam & omnis lenocinii negligens, & in capite comendo tam incuriosus, ut raptim compluribus simul tonsoribus operam daret, ac modo tonderet, modo raderet barbam. *Vultu erat* (*i*) *tranquillo serenoque: oculos habuit claros ac nitidos, capillum leviter inflexum ac sufflavum, supercilia conjuncta, mediocres aures, nasum & a summo eminentiorem & ab imo deductiorem*.

(*a*) Suet. in Vita c. 5.
(*b*) An. U.C. 691.
(*c*) Suet. c. 7.
(*d*) An. U.C. 727.
(*e*) Mela Lib. II. c. 6.
(*f*) Plin. Lib. III. c. 3.
(*g*) Dio Cass. Lib. LIII. p. 507. B.
(*h*) Suet. in Vita c. 79.
(*i*) Id. ibid.

TAB.

TAB. IV.

Num. I.

LIVIA AUGUSTI UXOR.

INDVLGENTIAE AVG. MONETA INPETRATA. *Indulgentiæ Augustæ Moneta impetrata*. Caput Liviæ velatum.

CAESARI AVG. COL. A. A. P. *Cæsari Augusto Colonia Augusta Aroë Patrensis*. Augustus sceptrum aquila ornatum tenens, quadrigamque equorum agens.



Ponsam habuit adolescens (*a*) Augustus P. Servilii Isaurici filiam: sed reconciliatus post primam discordiam Antonio, & postulantibus utriusque militibus, ut & necessitudine aliqua jungerentur, privignam ejus Claudiam, Fulviæ ex P. Clodio filiam, duxit uxorem, vix dum nubilem: ac simultate cum Fulvia socru exorta, dimisit intactam adhuc & virginem. Mox Scriboniam in matrimonium accepit, nuptam ante duobus Consularibus, & ex altero etiam matrem. Cum hac etiam divortium fecit, pertæsus, ut scripsit, morum perversitatem ejus: *ac statim* (*b*) *Liviam Drusillam matrimonio Tiberii Neronis, & quidem prægnantem abduxit, dilexitque, & probavit unice ac perseveranter*. Ex Scribonia Juliam, (*c*) ex Livia nihil liberorum tulit, quum maxime cuperet. Infans, qui conceptus erat, immaturus est editus. Livia ipsa hoc in nummo exhibetur sub Junonis specie, nam & *velato* (*d*) *capite Junonem ponebant*, &

Adjecere (*e*) *sacrum, fieret quo Livia Juno*.

Quemadmodum itaque Junonem Monetam, τυτέςι σύμβυλον, (*f*) *h. e. consultricem* colebant Romani, quod, quum in bello contra Pyrrhum Tarentinosque pecuniis egerent, adeoque Junoni votum fecissent, respondisse illam, si cum justitia seriam operam darent armis, pecuniam ipsos non defecturam, eaque ratione voti se compotes factos esse autumabant: ita Patrenses, quum & Augusto strenuam in bellis, maxime Actiaco, navassent operam, & ab ipso, consultri-

(*a*) Suet. in A. c. 62.

(*b*) Id. ibid.

(*c*) Id. c. 63.

(*d*) Fulgent. Lib. II. Mythol. de Jun.

(*e*) Prudent. adu. Symmach. v. 251. Lib. I.

(*f*) Suid. in ΜΟΝΗΤΑ.

ce forte Livia, inpetrassent monetam, Liviam ipsam veluti alteram Junonem suspiciebant, præcipuoque cultu venerabantur. Indulgentiam igitur cudendæ Monetæ seu potius non solvendæ, quam Mummius (a) Græcis civitatibus constituerat, [Bœotos enim ille & Eubœos Heracleotis talenta centum, Achæos, inter quos Patrenses, Lacedæmoniis CC pendere jusserat], una cum Græcis Patrenses ipsi inpetrarunt. Solis autem Patrensibus ex omnibus Achæis, ut essent liberi, concessit Augustus: ἔδωκε δὲ καὶ ἐς τὰ ἄλλα γέρας σφίσιν, ὁπόσα τοῖς ἀποίκοις νέμειν οἱ Ρωμαῖοι νομίζουσι: (b) *alia præterea in eam civitatem beneficia contulit, quibus a se deductas colonias adficere Romani solebant*. Patras enim in coloniam deduxit magnam partem exercitus, quo in Actiaca paranda victoria usus fuerat: adeoque Strabo, qui imperante Tiberio litteris mandabat, testatur (c) Patras valde copia virorum floruisse, quum paullo ante facta ἀποικία Ρωμαίων οὖσα, *Colonia Romanorum esset*. Hinc *Colonia Augusta* inscribitur in nummo, & Augustum exhibet de Antonio apud Actium debellato triumphantem. Dicitur vero *Aroë Patrensis*, quia Eumelus, (d) qui eam regionem primus incoluisse, paucisque hominibus imperasse ferebatur, edoctus a Triptolemo, qui ex Attica venerat, fructum e terra habere, & urbem condere, Ἀρόαν ὠνόμασεν ἐπὶ τῇ ἐργασίᾳ τῆς γῆς, *Aroën appellavit ab ipso terræ cultu*. Patreus deinde Preugenis filius, Agenoris nepos, ejectis per Achæos Jonibus, (e) quum Achæos ipsos vetuisset Anthean & Mesatin habitare, Aroës pomerio ampliato, veterem Oppidi ambitum novo inclusit, ὄνομα ἔθετο ἀφ' ἑαυτοῦ Πάτρας τῇ πόλει, & *Aroën de suo nomine Patras vocavit*.

(a) Pausan. Lib. VII. c. 16. p. 563.

(b) Id. eod. Lib. c. 28. p. 569.

(c) Lib. VIII. p. 387.

(d) Pausan. Lib. VII. c. 28. p. 568.

(e) Id. ibid.




Num.

Num. II.

DIVUS AUGUSTUS.

DIVVS AVGVSTVS, capite laureato.
IMP. NERVA CAESAR AVGVSTVS REST. *Imperator Nerva Cæſar Auguſtus reſtituit*. In area nummi litteræ S. C., hoc eſt *Senatus Conſulto*.



Uguſti ejuſque conſecrationis memoriam reſtituit hoc in numiſmate Nerva. Auguſtus ipſe Nolæ *obiit* (*a*) *duobus Sextis*, *Pompejo & Appulejo Coſs.* (*b*), XIV. *Kal. Septembris*, *hora diei nona*, *ſeptuageſimo & ſexto ætatis anno*, *diebus quinque & triginta minus*. Corpus Decuriones Municipiorum & Coloniarum a Nola Bovillas uſque deportarunt: a Bovillis Equeſter ordo ſuſcepit Urbique intulit, atque in veſtibulo domus conlocavit. Inde funus ejus elatum eſt. (*c*) Lectus erat ex auro & ebore conſtructus, purpureis ſtragulis auroque iis intertextis ornatus: in ejus infima parte cadaver arcæ incluſum conditum erat: imago autem ejus cerea habitu triumphali cernebatur. Hanc a palatio comitabantur Conſules deſignati: altera aurea ex Curia & tertia in curru pompali ducebatur: poſt has avorum ipſius, ac cognatorum vita functorum, aliorumque Romanorum, qui quacumque re primatum obtinuiſſent, imagines, initio a Romulo facto ferebantur: omneſque nationes, quas ſubegiſſet, cum ſuo ipſarum cultu effictæ conſpiciebantur. Quum lectus pro roſtris publice poſitus fuiſſet in tribunali, Druſus ex ipſo tribunali aliquid de ſcripto recitavit: Tiberius autem pro aliis illis roſtris Juliis ex Senatus conſulto ad populum orationem habuit, Auguſti rebus laudibuſque contextam. Hinc feretrum iidem, qui ante, ſublatum triumphali porta ex Senatus conſulto extulerunt. Aderant ducendo funeri Senatus, Equiteſque cum conjugibus, prætorianique milites, ac fere omnes, qui tum Romæ agebant, homines. Poſtquam cadaver rogo in Campo Martio impoſitum fuit, primum omnes Pontifices rogum circumierunt, deinde Equites tam qui militabant, quam alii, & ex urbano præſidio legionarii in orbem curſitarunt, omnia

(*a*) Suet. in Vita c. 100.

(*b*) An. U. C. 767. Chr. 14.

(*c*) Dio Caſſ. Lib. LVI. pag. 591. & ſeqq.

præmia victoriæ, quæ ob ſua quondam egregia in bello facta ab ipſo accepiſſent, ſuper eum conjicientes. Poſt hæc Centuriones acceptis facibus, quas eis Senatus dederat, rogum ſuccenderunt qui dum abſumeretur, Α'ετὸς δέ τις ἐξ αὐτῆς ἀφεθεὶς ἀνέπτατο, ὡς καὶ δὴ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἐς τὸν οὐρανὸν ἀναφέρων (*a*), *Aquila ex eo emiſſa ſurſum volavit, quaſi animam Auguſti in Cœlum ferens*. His peractis reliqui diſceſſerunt, Livia autem cum Equitum primis eo in loco quinque dies morata, oſſa ejus legit, & in monumento condidit. Porro Flamines (*b*) cum ſacris & Sacerdotem Liviam conſtituerunt, eamque lictore uti in ſacrificiis permiſere. Decretum quoque Romæ Auguſto ſacrarium a Senatu, a Livia autem & Tiberio factum: alibi quoque multis in locis ei fana exſtructa ſunt a populis partim volentibus, partim invitis: Nolæque domus, in qua deceſſerat, in Templum mutata. Exſtat Fragmentum vetuſtiſſimi Kalendarii paullo poſt mortem Auguſti in tabula marmorea exarati, in quo ad diem XVII. Septembris legitur: XV. (*Kal. Octob.*) NP. hoc eſt *Neſaſtus Primo*. LVDI IN CIRCO FER*iæ* EX *Senatus Conſulto Quod* E*o* DIE DIVO AVGVSTO HONORES CELESTES A SENATV DECRETI SEX*to* AD*que* [ſic pro AT*que*] SEX*to* CO*nSulibus*. Publici juris factum eſt hoc fragmentum in *novo* (*c*) *Theſauro veterum Inſcriptionum* a Cl. Ludovico Antonio Muratorio, Viro ſane eruditiſſimo atque doctiſſimo, deque Republica litteraria, cujus bono natus eſt, vivitque, & utinam diutiſſime vivat, meritiſſimo: quem propterea honoris, tum etiam amicitiæ cauſſa nomino.

(*a*) Id. p. 598. B.

(*b*) Pag. 600.

(*c*) Tom. I. pag. CL. tab. B



Num.

Num. III.

TIBERIUS.

TI. CAESAR AVGVSTI F. IMPERATOR V. *Tiberius Cæſar Auguſti Filius Imperator quintum*, capite nudo.

ROM. ET AVG. *Romæ & Auguſto*. Templum cum duabus Victoriolis hinc inde ſuper columnas poſitis, palmaſque & corollas geſtantibus.



Iberio Neroni ex Livia natus eſt Tiberius (*a*) (*a*) Suet. in Ti. c. 5.
Romæ XVI. Kal. Decemb. *M. Æmilio Lepido iterum & Munatio Planco* (*b*) *Coſs.* (*b*) An. U. C. 712. Quum vero pater uxorem & tunc gravidam, & ante jam apud ſe Tiberium enixam (*c*) petenti Auguſto (*c*) Suet. in Ti. c. 4. conceſſiſſet, vitaque poſtea functi eſſent adoptati & ad imperium deſtinati ab ipſo Auguſto Cajus & Lucius, adoptatus eſt *Tiberius*, *Cæſar*que & *Auguſti Filius* dictus eſt. Plura in bellis proſpere geſſit, unde & pluries *Imperator* appellatus eſt: toto autem Illyrico, (*d*) quod inter Italiam re- (*d*) Id. c. 16. gnumque Noricum & Thraciam & Macedoniam interque Danubium flumen & ſinum maris Adriatici patebat, perdomito, & in ditionem redacto, *Imperator quintum* eſt nuncupatus. Cernere illum eſt in nummo, *capillo prope occipitium ſubmiſſiore, ut cervicem etiam obtegat, quod gentile in illo videbatur, facie honeſta cum prægrandibus oculis*, ut a Suetonio (*e*) deſcribitur. In parte vero poſtica Templum conſpici- (*e*) In Vit. c. 68. tur Romæ & Auguſto dedicatum; Auguſtus enim *Templa*, (*f*) *quamvis ſciret etiam Proconſulibus decerni ſolere, in nulla* (*f*) Id. in Aug. c. 52. *tamen Provincia, niſi communi ſuo Romæque nomine recepit: nam in urbe quidem pertinaciſſime abſtinuit hoc honore.*

TAB. V.

Num. I.

TI. CAE. DIVI AVG. F. AVG. IMP. VIII. COS. IIII. *Tiberius Cæſar, Divi Auguſti Filius, Auguſtus, Imperator octavum, Conſul quartum,* capite nudo.

L. GAVIO CAS. PERMIS. P. DOLABELLAE PROCOS. C. C. P. I. *Lucio Gavio Caſſio Permiſſu Publii Dolabellæ Proconſulis. Colonia Carthago Pia Julia.* Mercurius cum petaſo in capite, ac talaribus ad pedes, & caduceo in dextra, ſcopulo ſeu ſaxo inſidens.



Ortuo Auguſto, duobus (*a*) Sextis, Pompejo & Appulejo (*b*) Coſs. XIV. Kal. Sept. ſucceſſit Tiberius, ac *poſt redditum cœlo patrem,* (*c*) *& corpus ejus humanis honoribus, nomen divinis honoratum,* Divi Auguſti Filius dici cœpit & inſcribi. Cognomen tamen *Auguſti* ipſe quidem minime uſurpavit, neque ſibi umquam decerni paſſus eſt: λεγόμενον δ' ἀκούων καὶ γραφόμενον ἀναγινώσκων ἔφερε: (*d*) *at vero audiens aut ſcriptum legens ferebat.* Τὸ δ' ὅλον Καῖσαρ καὶ ὑφ' ἑαυτοῦ ὠνομάζετο: *Illud autem Cæſaris ſibi ipſe tribuebat.* Vivo Auguſto unum Conſulatum, eoque mortuo non amplius quam omnino tres, unum paucis diebus, alterum tribus menſibus, *tertium* (*e*), qui in nummo notatur, *abſens uſque in Idus Majas geſſit.* Anno itaque U. C. DCCLXXIV. (*f*) *Tiberii* (*g*) *quartus, Druſi ſecundus Conſulatus, Patris atque Filii conlegio inſignis fuit:* nam biennio ante Germanici cum Tiberio idem honor, neque patruo lætus, neque natura tam connexus fuerat. *Eodem* (*h*) *anno,* quum magnæ molis bellum, (*i*) principe Galliarum ciente Sacroviro Floroque Julio, mira celeritate ac virtute compreſſiſſet Tiberius, *Imperator octavum* appellatus eſt. Dolabella autem, cujus mentio in parte nummi poſtica habetur, Blæſo (*k*) in Proconſulatu Africæ ſucceſſit anno (*l*) U. C. DCCLXXVII., ac tum demum Populus Romanus (*m*) longo adverſus Numidam Tacfarinatem bello, curante ipſo Dolabella abſolutus eſt. Lucius itaque Gavius Caſſius permiſſu P. Dolabellæ Proconſulis nummum hunc *Carthagine,* (*n*) quam urbem *Julius*

(*a*) Suet. in Aug. c. 100.
(*b*) An. U. C. 767. Chr. 14.
(*c*) Vellej. Lib. II. c. 124.
(*d*) Dio Caſſ. Lib. LVII. p. 607. A.
(*e*) Suet. in Vit. c. 26.
(*f*) Chr. 21.
(*g*) Tacit. Lib. III. An. c. 31.
(*h*) Tacit. Eod. Lib. III. An. c. 40.
(*i*) Vellej. Lib. II. c. 129.
(*k*) Tacit. Lib. IV. Annal. c. 23.
(*l*) Chr. 24.
(*m*) Id. ibid. & cap. ſeq.
(*n*) Vid. Anim. in hunc num.

lius Cæſar ἀπώκισεν (*a*) , *Coloniam effecit* , cudi edique curavit : & in eo Mercurium (*b*) , quem in promontorio Urbi vicino colebat , cum talaribus , quibus per aëra ferri credebatur , (*c*) & cum caduceo , pacis ſymbolo , exhibuit.

(*a*) Dio Caſs. Lib. XLIII. p. 238.
(*b*) Vid. Anim. de hoc num.
(*c*) Phurnut. de Mercur.

Num. II.

AGRIPPINA CAII CAESARIS AUGUSTI MATER.

AGRIPPINA M. F. MAT. C. CAESARIS AVG. *Agrippina Marci Filia , Mater Caji Cæſaris Auguſti* . Caput Agrippinæ.

S. P. Q. R. MEMORIAE AGRIPPINAE . *Senatus Populuſque Romanus Memoriæ Agrippinæ* . Carpentum a duabus mulis vectum.



Eſtis eſt præter nummos Dio Caſſius (*d*) , Agrippinam Germanici Uxorem τῦ τε Ἀγρίππυ ϗ τῆς Ἰυλίας τῆς Αὐγύςυ θυγαθέρα ὖσαν ϗ τὸν ὑιὸν Γάϊον Καλιγόλαν , fuiſſe M. *Agrippæ Juliæque Auguſti filiam* , *Matrem vero Caji* Cæſaris Auguſti , qui *Caligula* dictus eſt . Poſt mariti mortem Pandatariam relegavit (*e*) Tiberius Agrippinam , conviciantique oculum per Centurionem verberibus excuſſit . Rurſus mori inedia deſtinanti , per vim ore diducto , infulciri cibum juſſit : ſed & perſeverantem atque ita abſumptam criminoſiſſime inſectatus eſt : quum diem quoque natalem ejus inter nefaſtos referendum ſuaſiſſet . Imputavit etiam , quod non laqueo ſtrangulatam in Gemonias abjecerit : proque tali clementia interponi decretum paſſus eſt , quo ſibi gratiæ agerentur , & Capitolino Jovi donum ex auro ſacraretur . Oſſa autem Agrippinæ (*f*) ne dum in monumento auguſtæ domus non ſunt condita , quin etiam defoſſa in terra juſſit occultari , ne unquam inveniri poſſent. Cajus tamen filius , ubi Tiberio ſucceſſit , confeſtim (*g*) Pandatariam & Pontias ad transferendos Matris fratriſque cineres feſtinavit , tempeſtate turbida , quo magis pietas emineret , adiitque venerabundus , ac per ſemet in urnas condidit . Nec minore ſcena Oſtiam præfixo in biremis puppe vexillo & inde Romam Tiberi ſubvectos , per ſplendidiſſimum quemque equeſtris ordinis , medio ac frequenti die duobus fer-

(*d*) Lib. LVII. p. 605. C.
(*e*) Suet. in Ti. c. 53.
(*f*) Dio Caſſ. Lib. LVIII. p. 635. C.
(*g*) Suet. in Cajo c. 15.

ferculis Mausoleo intulit: inferiasque his annua religione publice instituit, *& eo amplius Matri Circenses Carpentumque, quo in pompa traduceretur*: uti nempe *vehebantur* (*a*) *in pompa ludorum Circensium Deorum simulacra*. Atque ita ab inferis ad superos deducta Agrippina est, & Senatum Populumque Romanum, quos adversarios primum passa est, postea habuit cultores.

(*a*) Macrob. Lib. I. Saturn. c. 21.

T A B. VI.

Num. I.

N E R O.

NERO CLAVD. CAESAR AVG. GERM. P. M. TR. P. IMP. P. P. *Nero Claudius Cæsar Augustus, Germanicus Pontifex Maximus, Tribunicia Potestate, Imperator, Pater Patriæ*, capite laureato.

CONG. II. DAT. POP. R. *Congiarium secundum datum Populo Romano*. Nero in tabulato sedens cum Scriba, adstante milite ac muliere cum tesseris, congiarium distribuit.



EX Domitio & Agrippina Germanico genita natus est Nero Antii (*b*) post IX. menses, quam Tiberius excessit, (*c*) XVIII. Kal. Januarias. Cognomine autem *Neronis* significari lingua Sabina fortem ac strenuum, auctor est Suetonius (*d*). Nihil itaque minus Imperatori nostro conveniebat, ita enim degeneravit a suorum virtutibus Nero, (*e*) ut tamen vitia cujusque quasi tradita & ingenita retulerit. Undecimo (*f*) ætatis anno a Claudio Imperatore ejusdem patruo, adoptatus est, indeque *Cæsar* (*g*) est renuntiatus. Septemdecim natus annos (*h*), ut de morte Claudii palam factum est, (*i*) inter horam sextam septimamque processit ad excubitores: quum ob totius diei diritatem non aliud auspicandi tempus accomodatius videretur: *proque Palatii gradibus Imperator consalutatus*, lectica in castra & inde raptim appellatis militibus in Curiam delatus est, discessitque jam vesperi, ex immensis, quibus cumulabatur, honoribus, tantum

(*b*) Suet. in Ner. c. 6.
(*c*) An. U.C. 790. Chr. 37.
(*d*) In Ti. c. 1.
(*e*) Id. in Ner. c. 1.
(*f*) Id. c. 7.
(*g*) Num. apud Mediob. p. 84. 88. 89.
(*h*) Suet. in Ner. c. 8.
(*i*) Die 13. Octob. an. U. C. 807. Chr. 54.

tum *Patris Patriæ* nomine recuſato, propter ætatem: quod tamen mox admiſiſſe, nummi probant. Auguſtus itaque renuntiatus, ex *Auguſti*, (*a*) qui primus hoc nomen tulit, *præſcripto imperaturum ſe profeſſus eſt*. Inde *diviſit* (*b*) *populo viritim quadragenos nummos*. Biennio etiam poſt, ubi Conſulatum ſecundum (*c*) iniit, iterum *plebi* (*d*) *congiarium quadrageni nummi viritim dati*, & in ære ad perpetuam memoriam munus hoc inciſum.

(*a*) Suet. in Ner. c. 10.
(*b*) Id. ibid.
(*c*) An. U.C. 810. Chr. 57.
(*d*) Tacit. Lib. XIII. An. c. 31. ubi Lipſius legit, ut & apud Sueton. *quadringenos*.

Num. II.

NERO CLAVDIVS CAESAR AVG. GER. P. M. TR. P. IMP. P. P. *Nero Claudius Cæſar Auguſtus Germanicus, Pontifex Maximus, Tribunicia Poteſtate, Imperator, Pater Patriæ*, capite laureato.

PACE P. R. TERRA MARIQ. PARTA IANVM CLVSIT *Pace Populo Romano terra marique parta Janum cluſit*. Sacellum Jani clauſum.



Anum ad infimum Argiletum (*e*), indicem pacis bellique fecit Numa, apertus ut in armis eſſe civitatem, clauſus pacatos circa omnes populos ſignificaret. Hinc *Janum* (*f*) *Patulcium & Cluſivium* invocabant Romani; quia bello caulæ ejus patebant, pace claudebantur. Janum (*g*) itaque ſemel atque iterum a condita Urbe, memoriam ante ſuam clauſum, in multo breviore temporis ſpatio, *terra marique pace parta*, *tertio* clauſit Auguſtus. Nero autem eumdem *Janum* (*h*) clauſit tam nullo, quam reſiduo bello. Ὅτε νεὼς ἄπας χαλκοῦς, ἐν τετραγόνῳ σχήματι, ἕςηκε· τοσοῦτος μὲν ὅσον τὸ ἄγαλμα τοῦ Ἰάνου, (οὐχ ἧσσον ἢ πηχῶν πέντε), σκέπειν. (*i*) Ipſum *Jani ſacellum totum ex ære conſtabat, quadrata forma, eaque magnitudine, quæ vix ſufficeret tegendo ejuſdem Jani ſimulacro, quinque ſaltem cubitos longo*.

(*e*) Liu. Lib. I. Dec. I. c. 19.
(*f*) Macrob. Lib. I. Saturn. c. 9.
(*g*) Suet. in Aug. c. 22.
(*h*) Id. in Ner. c. 14.
(*i*) Procop. Lib. I. de Bell. Goth. c. 25. p. 375. B.

Num. III.

ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΝΕΡΩΝ. *Cæſar Imperator Nero*, capite radiato atque laureato.

ΡΟΔΙΩΝ. *Rhodiorum*. Victoria roſtro navis inſiſtens, coronam dextra, ſiniſtra palmam gerit. In area nummi Roſa.



Udit hunc nummum Neroni *pulcherrima* (*a*) *& libera Rhodos*, addiditque ejus *vultui* (*b*) *pulchro magis quam venuſto* radios, quum fama eſſet, radiis ipſum (*c*), dum ederetur in lucem ſub auroram, nullo Solis adpulſu manifeſto, circumdatum adparuiſſe. Sub ſpecie itaque Solis, cui *tota* (*d*) *ſacrata* erat inſula, eumdem repræſentavit: Rhodum quippe beneficiis foverat Nero: quum enim libertatem Rhodiis ademiſſet Claudius, (*e*) quod Romanos quoſdam in crucem egiſſent, *pro Rhodiis* (*f*) *græce verba fecit* Nero, eodemque Oratore (*g*) reddita eſt illis libertas. Imperium vero adeptus, matrem dicta factaque ſua exquirentem acerbius & corrigentem quum gravaretur, ceſsurum ſe imperio dicebat, (*h*) *Rhodumque abiturum*. Victoria porro, quæ in parte nummi poſtica cernitur, ea eſse poteſt, quam Corbulo de Parthis retulit; quando & *conſalutatus* (*i*) *Imperator Nero*, & Senatus Conſulto ſupplicationes habitæ, ſtatuæque & arcus & continui conſulatus Principi, utque inter feſtos referretur dies, quo *patrata Victoria, quo nuntiata, quo relatum de ea eſſet*, aliaque in eamdem formam decreta. Roſtro autem navis inſiſtens eadem Victoria *diſciplinam* (*k*) *navalem & gloriam* Rhodiorum ſignificat. Hinc Roſa Urbis originem reſpicit; *Roſæ* (*l*) enim *caput dicitur eſſe inventum, dum ibi civitas conderetur: ex quo & Urbs & inſula Rhodos eſt appellata*. Eximias quoque ea inſula roſas habet, (*m*) unde & Rhodum vocari quidam ajunt.

(*a*) Plin. Lib. V. c. 31.
(*b*) Suet. in Ner. c. 51.
(*c*) Dio Caſs. apud Xiphil. Lib. LXI. p. 690. A.
(*d*) Manil. IV. Aſtron. v. 763.
(*e*) Dio Caſſ. Lib. LX. p. 681. B.
(*f*) Suet. in N. c. 7.
(*g*) Tacit. Lib. XII. An. c. 58.
(*h*) Suet. in Vit. c. 34.
(*i*) Tacit. Lib. XIII. An. c. 41.
(*k*) Cicer. Orat. pro L. Manil. c. 18.
(*l*) Iſid. Lib. XIV. Etym. c. 6.
(*m*) Vet. Schol. in Pindar. Olymp. Od. VII. v. 24.

TAB.

TAB. VII.

Num. I.

GALBA.

ΣΕΡ. ΓΑΛΒΑ ΣΕΒ. *Servius Galba Augustus*, capite laureato.
ΖΕΥΣ ΚΑΣΙΟΣ. *Juppiter Casius*. Tria Templa, in quorum medio Juppiter.



Erpeti Neronem quum non amplius terrarum Orbis posset, Servius Galba, cujus vita militaribus & civilibus rebus fuerat insignis (*a*), ab Hispanis & Gallis, quibus præerat, est *consalutatus* (*b*) *Imperator*: ipse vero Legatum se Senatus ac Populi Romani professus est. Sed supervenientibus ab Urbe nuntiis, ut occisum Neronem, (*c*) cunctosque in verba sua jurasse cognovit, deposita Legati, *suscepit Cæsaris* (*d*) *appellationem*, indeque Augustus dictus est. Quamvis enim Cæsaris aut Augusti domum nullo gradu (*e*) contingeret: quia tamen hæc nomina evaserant imperii propria, eadem ipse successoresque sumpserunt. *Augustus primus*, inquit Alexander Imperator, (*f*) *primus est auctor imperii, & in ejus nomen omnes velut quadam adoptione aut jure hereditario succedimus*. Hinc laurea juxta alios Cæsares insignitus heic conspicitur Galba, qui & provectæ ætatis dignoscitur, nam *septuagesimum* (*g*) *& tertium annum* agebat, quum ad imperium vocatus est. Quia vero *paternam originem ad Jovem* referebat, (*h*) Juppiter Casius cum tribus illis, in quibus colebatur, Templis adjunctus est. In Ægypto itaque Casius mons & Oppidum, sic dictum ab insula Cycladis, quæ nomen habuit a Caso Cleomachi: ἀφ' οὗ καὶ Κασίου Διὸς ἱερόν, (*i*) *a quo etiam Casii Jovis Templum conditum est*. Alius in Syria super Seleuciam (*k*), Pieriam appellatam, mons Casius, ibique ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΠΙΕΡΙΑΣ ΖΕΥΣ ΚΑΣΙΟΣ, (*l*) *Seleucensium Pieriæ Juppiter Casius*. Demum insula quoque Corcyra Oppido Cassiope, *Temploque* (*m*) *Jovis Casii* gloriabatur: unde in nummis ΚΟΡΚΥΡΑ. ΖΕΥΣ ΚΑΣΙΟΣ, (*n*) *Corcyræorum Juppiter Casius*: & Nero, *ut primum Cassiopen trajecit statim* (*o*) *ad aram Jovis Casii cantare auspicatus est*.

(*a*) Eutrop. Lib. VII. c. 16.
(*b*) Suet. in Vit. c. 10.
(*c*) Die IX. Jun. an. U. C. 821. Chr. 68.
(*d*) Suet. in Vit. c. 11.
(*e*) Id. c. 2.
(*f*) Apud Lampr. in Vita c. 10.
(*g*) Eutrop. Lib. VII. c. 16. & Suet. in Vit. c. ult. habent annum 73. cum Plutarcho; Dio Cassius. Vict. Zonar. nonnihil temporis detrahunt.
(*h*) Suet. in Vit. c. 2.
(*i*) Stephan. de Urb.
(*k*) Plin. Lib. V. c. 21. & 22.
(*l*) Num. 6. 7. 8. 9. 10. Tab. XVI. Tom. X Mus. Farnes.
(*m*) Plin. Lib. IV. c. 12.
(*n*) Num. apud Marmor. Histor. Corc. Cap. I. in fine.
(*o*) Suet. in Vit. c. 12.

Num. II.

DOMITIANUS.

ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΔΟΜΙ ...... *Dei Filius Domitianus*, capite laureato.

Imperator laureatus atque togatus, sceptrumque tenens, stat in Curru a duobus centauris vecto.



Uum Vespasianus Domitiani parens, ubi credidit se moriturum, Θεὸς ἤδη γενήσομαι, (*a*) *jam Deus ero* dixisset, ac post mortem *inter Divos* (*b*) *relatus* esset, Domitianus Dei Filius dici cœpit & inscribi. Pari arrogantia, quin etiam majori Domitianus ipse, quum aliquando Procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit: (*c*) *Dominus & Deus noster sic fieri jubet*: unde institutum post hac, ut ne scripto quidem ac sermone cujusquam appellaretur aliter. *Vultu* tamen erat *modesto* (*d*) *ruborisque pleno, grandibus oculis, verum acie hebetiore, præterea pulcher & decens, maxime in juventa*, postea calvitio deformis. At, quum ipso calvitio ita offenderetur, ut in contumeliam suam traheret, si cui alii joco vel jurgio objectaretur, heic minime calvus factus est. Expeditiones suscepit sponte in Cattos (*e*), necessario in Sarmatas, Legione cum Legato simul cæsa: in Dacos duas, primam Oppio Sabino consulari oppresso, secundam Cornelio Fusco Præfecto cohortium prætorianarum, cui belli summam commiserat. *De Cattis Dacisque post varia prælia duplicem triumphum egit*: (*f*) *de Sarmatis lauream modo Jovi Capitolino retulit*. Hoc itaque in nummo triumphans exhibetur, & Catti Dacique sub Centaurorum specie, utpote qui inter barbaros habebantur, ibidem exprimuntur. Melius tamen Centaurorum specie, quæ fabulosa est, falsæ, *quas jactabat* Domitianus (*g*) νίκας δὲ ψευδεῖς προσποιούμενος, *victoriæ* denotantur.

Nam *neque* (*h*) *Centauri fuerunt, nec tempore in ullo*
Esse queat duplici natura & corpore bino
Ex alienigenis membris compacta potestas.

(*a*) Ex Dion. Xiphil. Lib. LXVI. p. 753. B.
(*b*) Eutrop. Lib. VII. c. 20.
(*c*) Suet. in Vit. c. 13.
(*d*) Id. c. 18.
(*e*) Id. c. 6.
(*f*) Id. ibid.
(*g*) Zonar. Lib. XI. An. p. 580. C.
(*h*) Lucret. Lib. V. v. 875.

Num.

Num. III.

TRAJANUS.

IMP. CAES. NERVAE TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P. *Imperatori Cæsari Nervæ Trajano, Augusto, Germanico, Dacico, Pontifici Maximo, Tribunicia Potestate, Consuli quintum, Patri Patriæ*. Caput laureatum Trajani.

VRBS ROMA HETERNA. Trajanus sive quis alius ante Templum, adstantibus ministris, ac personante tibicine, sacra facit.



TRajanus ex Urbe Italica Hispaniæ (*a*), a *Trajo* (*b*) paterni generis auctore, vel de nomine *Trajani* Patris sic appellatus, puer admodum, Parthica lauro gloriam Patris auxit, *nomenque* (*c*) *Germanici jam tum meruit*. Prospiciens vero *Nerva*, qui extrema ætate imperium ceperat, nisi a superioribus robustioribusque corpore & animo geri non posse, quum Capitolium adscendisset, (*d*) Trajanum adopto, alta voce clamavit: ac Trajanus *simul Filius* (*e*), *simul Cæsar*, *mox Imperator*, *& consors Tribuniciæ Potestatis*, *& omnia pariter & statim factus est*. Inde cum Nerva (*f*) *tribus vixit mensibus*, eoque, die vigesima septima Januarii anni U. C. DCCCLI. (*g*), mortuo Augustus etiam ac Pontifex Maximus, quos titulos Nerva sibi reservaverat, dictus est. At vero *nomen* (*h*) *Patris Patriæ recusabat*, victus tamen precibus admisit. *Consulatum quintum* iniit Kalendis Januariis anni U. C. DCCCLVI. (*i*) Dacos vicit, atque de iis triumphavit, ϗ Δακικὸς ἐπωνομάσθη (*k*), *& Dacicus cognominatus est*. Rempublicam ita administravit (*l*), ut omnibus Principibus merito prælatus sit. Romani Imperii, quod post Augustum defensum magis fuerat, quam nobiliter ampliatum, fines longe lateque diffudit. Hinc Romæ cultus crevit, eumque sacrificiis auxit Trajanus. Videre itaque est in nummo *tecta* (*m*) *Deæ*, quæ candida lucebant in monte Palatino.

(*a*) Xiphil. ex Dione. Lib. LXVIII. p. 771. Eutrop. & Vict. de Cæsar.
(*b*) Alter Vict.
(*c*) Plin. in Paneg. c. 14.
(*d*) Xiphil. ut supra p. 770. E.
(*e*) Plin. in Paneg. c. 8.
(*f*) Vict. Jun.
(*g*) Chr. 98.
(*h*) Plin. in Paneg. c. 21.
(*i*) Chr. 103. Vid. Anim. de Trib. Pot. N. XXI.
(*k*) Xiphil. ex Dio. Lib. LXVIII. p. 774. B.
(*l*) Eutrop. Lib. VIII. c. 2.
(*m*) Claudian. Lib. II. in Stilic. v. 227.

La-

[a] Prudent. Lib. I. contra Symm. v. 207.

Lanigerosque [*a*] *Deum templis adstare ministros,*
Ac sacram resonare viam mugitibus ante
Delubrum Romæ, colitur nam sanguine & ipsa
More Deæ, nomenque loci ceu Numen habetur:
Atque Urbis Venerisque pari se culmine tollunt
Templa, simul geminis adolentur thura Deabus.

[b] Quinct. Lib. VIII. cap. 2.
[c] Lib. XIV. c. 8.

In nummo legitur HETERNA pro AETERNA. Ipsa porro Roma, *Urbs* [*b*] dicta est per antonomasiam, & *æterna* per superbiam, *victura*, ut Ammianus Marcellinus [*c*] explicat, *dum erunt homines*.

T A B. VIII.

Num. I.

DIVO TRAIANO. Caput Trajani laureatum. Hercules, extincta Hydra, Geryonem interficiens.

[d] Du Cange in Gloss. Med. & Inf. Latin.
[e] Eutrop. Lib. VIII. c. 5.
[f] Plin. Lib. VII. c. 56.
[g] Auson. Edyl. XIX. v. 2.
[h] Dio Chrys. Orat. VIII. quæ est de Virtute p. 136. C.
[i] Lib. LXIX. p. 788. C.

Ummus hic ex illis est, quos *Contorniatos* vocant ab ambiente eos excavato quodam circuitu sive flexu, qui in veteribus etiam chartis *Conturnus* [*d*] dicitur. Ipsorum fabrica eo nitore eaque pulchritudine, qua ceteri tum Romani tum Græci nummi splendent, caret, barbariemque quamdam sæpius sapit. Tempus etiam, quo facti sunt, ignotum: quamvis quorumdam Imperatorum imagines & nomina præferant: neque enim ad ea tempora, quibus isti imperarunt, referri queunt: sed uno potius eodemque fere tempore facti videntur. Occurrunt itaque passim cum vultu Neronis & Trajani, quem Divum quoque perhibent, ut enim obiit, *inter* [*e*] *Divos relatus est*: cum subsequentium vero Imperatorum vultibus non usque adeo obvii sunt, & Valentinianum postremo exhibent: ac fere ludos repræsentant, aut ea, quæ ad ludos revocari facile possunt. Nummus noster Herculem habet, qui *instituit* [*f*] *Olympiæ athleticam*: ibique repræsentatur, [*g*] postquam *Lernæam ferro & face contudit Hydram*, Geryonem plurimos habentem boves [*h*] & ditissimum in occidente omnium pariterque superbissimum interficiens, bovesque abigens. Testis est autem apud Xiphilinum Dio Cassius, [*i*] in honorem Trajani, ϗ αἱ θέαι Παρθικαὶ ὀνομασθεῖσαι ἐπὶ πολλὰ ἔτη ἐγένον-

ἐγένοντο, *instituta multosque per annos peracta fuisse spectacula, quæ Parthica nominabantur*. Amplam eruditissimamque de nummis Contorniatis Dissertationem edidit (*a*) Cl. Havercampus, quem honoris caussa nomino.

(*a*) Lugdun. Batau. 1722. *Tom.* I. *in* 4.

Num. II.

HADRIANUS.

HADRIANVS AVG. COS. III. P. P. *Hadrianus Augustus, Consul tertium, Pater Patriæ*, capite laureato.

COS. III. P. P. *Consul tertium, Pater Patriæ*. Vir nudus cum falce & pelle in sinistra, pecudem ad aram accensam, quæ est ante Templum, præeunte cane, trahit: pone est arbor.



Adrianus Romæ (*b*) natus est IX. Kal. Febr. Vespasiano VII. & Tito V. Coss. (*c*), decimoque ætatis anno patre orbatus, Ulpium Trajanum, Prætorium virum, consobrinum suum, qui postea imperium tenuit, & Cælium Attianum equitem Romanum, tutores habuit. Quæstor (*d*) a Trajano jam Imperatore, inde Tribunus plebis, & Prætor factus est. Legatus etiam Prætorius in Pannoniam inferiorem missus est, quo in munere Sarmatas compressit, disciplinam militarem tenuit, Procuratoresque latius evagantes coërcuit: *ob hoc Consul* (*e*) *est factus*. Inde, si Spartianum audimus, in adoptionis sponsionem (*f*) venit Palma & Celso Coss. *Secundo Consul favore Plotinæ factus* (*g*), totam præsumptionem adoptionis emeruit. Quinto Iduum Augusti die Legatus Syriæ litteras adoptionis accepit, quando & natalem adoptionis celebrari jussit: tertio Iduum earumdem, quando & natalem imperii instituit celebrandum, excessus ei Trajani nuntiatus est. Ita quidem Spartianus, cui tamen circa Hadriani adoptionem Dionis Cassii auctoritas obstat, qua de re inferius. (*h*). Adeptus imperium Hadrianus, *Patris Patriæ* (*i*) *nomen sibi delatum statim & iterum postea distulit, quod hoc nomen Augustus sero meruisset*. Cum eo tamen comparet in Consulatu (*k*) secundo, quem quatuor post initum imperium mensibus

(*b*) Spartian. in Vit. c. 1.

(*c*) An. U. C. 829. Chr. 76.

(*d*) Spartian. c. 3.

(*e*) In an. U. C. 862. Chr. 109.

(*f*) Spart. c. 4.

(*g*) In annum U. C. 871. Chr. 118.

(*h*) Ad num. 2. Tab. IX.

(*i*) Spart. c. 6.

(*k*) Num. apud Mediobar. p. 169. Hardu. pag. 756. Oper. Selec. & Bonarot. Tab. I. n. 1. Mus. Carp.

ſibus i. e. anno U. C. DCCCLXXI. ſuſcepit. *Tertium Conſulatum* ſequenti anno, U. C. DCCCLXXII. (*a*) iniit, *&* (*b*) *quatuor menſibus tantum egit, & in eo ſæpe jus dixit*: nec vero alios Conſulatus ſuſcepit: *tertio* (*c*) autem *Conſules, quum ipſe ter fuiſſet, plurimos fecit*. Sacra Romana diligentiſſime curavit (*d*), peregrina contempſit, Pontificis Maximi offitium peregit. Venationis (*e*) autem per quam ſtudioſus fuit. Nigrini inſidias, quas ille *ſacrificanti* (*f*) *venationis cauſſa* Hadriano, conſcio Luſio & multis aliis paraverat, evaſit. Sacra itaque ſeu Hadrianus ipſe ſeu pro eo alius Fauno *aruorum* (*g*) *pecoriſque Deo* facturus in luco, cujus index arbor, votaque ſuſcepturus aut etiam ſoluturus pro venatione evaſiſque inſidiis trahere hædum cernitur ad aram, quæ eſt ante Templum ipſius Fauni, quamque jam accendit, illud Horatii canens:

Nunc (*h*) *& in umbroſis Fauno decet immolare lucis,*
Seu poſcat agna, ſive malit hædo.

(*a*) Chr. 119.
(*b*) Spart. c. 8.
(*c*) Id. ibid.
(*d*) Id. c. 22.
(*e*) Ex Dio. Xiphil. Lib. LXIX. p. 792. C.
(*f*) Spart. c. 7. & Dio apud Xiphil. eod. loco.
(*g*) Virgil. Lib. VIII. Æneid. v. 601. de Silvano, qui idem eſt cum Fauno. Vid. num. cum effigie & epigraphe SILVANI araque accenſa apud Seguin. in Select. p. 21. num. XIII.
(*h*) Horat. Lib. I. Carm. Od. 4. v. 11.

Num. III.

HADRIANVS, capite laureato.
COS. III. *Conſul tertium*. Mars ſeu miles armatus ſtans.


STatura Hadrianus fuit procerus, (*i*) forma comptus, *flexo ad pectinem capillo, promiſſa barba*, ut vulnera quæ naturalia erant, tegeret, habitudine robuſta. Equitavit ambulavitque plurimum, armiſque & pilo ſe ſemper exercuit: *paciſque magis quam belli cupidus*, militem, quaſi bellum immineret, exercuit: *ſiquidem ipſe* (*k*) *poſt Cæſarem Octavianum labantem diſciplinam incuria ſuperiorum Principum retinuit, ordinatis & offitiis & impendiis*. Merito itaque militis armati ſeu etiam Martis habitu hoc in nummo exhibetur, quum Cajus quoque Imperator, qui belli induſtria longe inferior fuerat, ſæpe thoracatus, (*l*) galeatus, clypeatuſque prodiiſſet ſtricto gladio, pro Marte ſe oſtentans. Martem tamen paciferum non ultorem egit Hadrianus, ita ut ἄρης παρὰ τὸ ἀρήγειν, (*m*) *Mars a ſuccurrendo* dici poſſet, & profligator bellorum, δημιουργὸς εἰρήνης, ac *pacis opifex*: quam ille gradivus ultorque, æque atque hic bella, odio proſequi creditus eſt, tranquillitatem & quietem turbans tumultibus.

(*i*) Spart. in Vit. c. 26.
(*k*) Id. cap. 10.
(*l*) Phil. Legat. ad Caj. p. 1005. C.
(*m*) Id. p. 1007. E.

TAB.

T A B. IX.

Num. I.

HADRIANVS AVG. COS. III. P. P. *Hadrianus Augustus, Consul tertium, Pater Patriæ*, capite laureato.
IVDAEA. Hadrianus togatus stans, dextram porrigit mulieri in genua procidenti: circa quam tres pueri stantes, ac manus supplices Imperatori tendentes.



Nno imperii secundo Hadrianus Judæos iterum contra Romanos rebellantes subegisse dicitur ab Eusebio (*a*). Quum vero Hierosolymis Coloniam, (*b*) urbis eversæ loco condidisset Imperator, quam & Æliam Capitolinam appellavit, ac, quo in loco Templum Dei fuerat, alterum Jovi ædificari curasset, magnum bellum ac diuturnum moveri cœpit, Judæis graviter ferentibus, quod exteræ nationes in urbem suam habitatum venissent, quodque in ea fieri externa sacra viderentur. Tamen, quum Hadrianus in Ægyptum ac rursum in Syriam adventasset, quiescendum sibi esse putarunt. Interim vero arma, quæ ipsis erant a Romanis imperata, minus apta de industria fecerunt: ut, si ea Romani reprobassent, ipsi eis uterentur. Post, ubi Hadrianus longe abesse visus est, palam defecerunt. Hos Romani primo nihili faciebant, sed, postquam totam Judæam commotam esse, Judæosque omnes ubique gentium tumultuari, & conventus facere intellexerunt, ac multa damna occulte aperteque Romanis inferre, cum iisque complures alios extraneos lucri cupiditate conjungi, ac fere ob eam caussam omnem orbem terrarum commoveri, Hadrianus optimos quosque Duces adversum eos mittit, quorum primus fuit Julius Severus, qui ex Britannia, cui præerat, contra Judæos missus est. Hic nulla ex parte ausus est aperte cum hostibus congredi, multitudine ipsorum atque desperatione cognita: sed eos singulatim militum Legatorumque numero aliquo adoriens, & commeatu prohibens & includens, serius quidem sed minore cum periculo, ita & adterere & exhaurire & exscindere potuit, ut pauci admodum evaserint, & quinquaginta eorum arces maximi momenti, vici-

(*a*) In Chronico.

(*b*) Xiphil. in Epit. Lib. LXIX. Dio. p. 793. & seq.

vicique celeberrimi atque nobiliſſimi nongenti octoginta quinque funditus everſi ſint. Cæſa ſunt in excurſionibus præliiſque hominum ὀκτὼ ϰ̀ πεντήκοντα μυριάδες, *quingenta octoginta millia*: eorum autem, qui fame, morbo, & igne interierunt, indagari multitudo non potuit: ὥςε πᾶσαν ὀλίγε δεῖν τὴν Ἰεδαίαν ἐρημωθῆναι (*a*), *ita ut omnis pœne Judæa deſerta relicta fuerit*. Dicuntur Judæi ab Euſebio (*b*) *in arma verſi* anno Hadriani XVI., compreſſi vero & finitum bellum anno XVIII., *rebus eorum penitus oppreſſis*: ex quo tempore introëundi Judæis Hieroſolyma eſt licentia ablata, primum Dei nutu, ſicut Prophetæ vaticinati ſunt, deinde Romanis interdictionibus. Judæa itaque proſtrata, reſurgere adjuvante Hadriano, cui & ſuperſtites pueri manus ſupplices porrigunt, in nummo conatur. Qui tamen nummus referri etiam poteſt ad id tempus, quo ἐς δὲ τὰ Ἱεροσόλυμα πόλιν αὐτε̃ ἀντὶ τῆς κατασκαφείσης οἰκίσαντος, ἣν ϰ̀ Αἰλίαν Καπιτωλίναν ὠνόμασε, κ. λ. *Hieroſolymis Coloniam, urbis everſæ loco condidit* Hadrianus, *quam & Æliam Capitolinam appellavit* (*c*).

(*a*) Id. Xiphil.
(*b*) In Chron.
(*c*) Dio apud Xiph. Lib. LXIX. pag. 793. B.

Num. II.

IMP. CAES. TRAIANVS HADRIANVS AVG. *Imperator Cæſar Trajanus Hadrianus Auguſtus*, capite laureato.

Juppiter inter Junonem & Minervam.



TRajani nomen, quod heic Hadrianus præfert, illud confirmare videtur, quod ſcribit Spartianus (*d*), Hadrianum nempe adoptatum accitumque fuiſſe ad imperium a Trajano: quod & tradit Victor (*e*). Exſtant præterea nummi (*f*), in quibus Trajanus Hadriano orbem, h. e. imperium porrigit, ibique legitur ADOPTIO. His tamen obſtat Dio Caſſius, (*g*) qui auctor eſt, *Hadrianum a Trajano nequaquam adoptatum fuiſſe*, Ἀδριανὸς δὲ ὑπὸ μὲν Τραϊανοῦ οὐκ ἐσεποιήθη, ſed defuncto Trajano ſine liberis, ab Attiano & Plotina ex affectu amatorio *Cæſarem* pariter & *Imperatorem* deſignatum fuiſſe, quum non procul abeſſet, & magnas copias haberet. Utque fidem huic narrationi faciat hiſtoricus, ſubdit Apronianum patrem ſuum, qui Ciliciæ præfuit, quique Hadriani res certo novit, ſibi hæc narraſſe,

(*d*) In Had. c. 4.
(*e*) De Cæſar.
(*f*) Apud Mediob. p. 168. & Hardu. in Hiſt. Aug. p. 754. Oper. Select.
(*g*) In princ. Lib. LXIX.

raſſe, illudque in primis, mortem Trajani per aliquot dies in occulto fuiſſe, ut adoptio prius emanaret: idque ex litteris ejus ad Senatum cognitum fuiſſe, utpote quibus non ipſe Trajanus, ſed Plotina ſubſcripſit, quod in alio nullo negotio ipſa fecerat. Quin Spartianus ipſe & Victor, poſtquam adſcitum a Trajano ad imperium Hadrianum ſcripſere, putaſſe alios ſubdunt, poſt mortem Trajani *Plotinæ* (*a*) *conjugis favore imperium adſecutum* eſſe Hadrianum. Quod autem ad nummos ſpectat, in quibus & videtur & legitur ADOPTIO, cuſi ab iis dici poſſunt, qui Hadriano, quum adoptatus a Trajano videri vellet, morem gerebant & adſentabantur. Juppiter porro, Juno, atque Minerva hoc in nummo repræſentantur, quomodo erant in Templo, quod eis Romæ Tarquinius erexerat: ibi namque tria extabant fana, quæ æquali diſtantia communibus continebantur lateribus, (*b*) *μέσος μὲν ὁ σηκὸς τοῦ Διός· παρ᾽ ἑκατέρον δὲ τὸ μέρος, ὅ τε τῆς Ἥρας, καὶ ὁ τῆς Ἀθηνᾶς*, *medium Jovis, hinc Junonis, inde Minervæ* ſub eodem laqueari eodemque tecto.

(*a*) Vict. de Cæſ. Spartian. c. 4. Eutrop. Lib. VIII. c. 6.

(*b*) Dionyſ. Hal. Lib. IV Antiq. Rom. p. 259.

T A B. X.

Num. I.

ΑΥΤ. ΚΑΙΣ. ΤΡΑΙ. ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΟΛΥΜΠΙΟΣ. *Imperator Cæſar Trajanus Hadrianus Olympius*, capite laureato.

ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. *Cyzicenorum*. Hercules in ſaxo, leonis exuviis tecto inſidens, clavam dextra tenet.



Adrianus ad Orientem profectus (*c*), per Athenas iter fecit, atque opera, quæ apud Athenienſes cœperat, dedicavit, *ut Jovis Olympii ædem & aram ſibi*, eodemque modo per Aſiam iter faciens templa ſui nominis conſecravit: in ipſo Jovis Olympio ab unaquaque urbe (*d*) ei ſtatua conlocata eſt, hinc *Olympius* & ipſe dictus eſt. Cyziceni vero ſub imagine Herculis ipſum hoc in nummo repræſentarunt, quod Herculem coleret imitareturque Hadrianus. Scribit Xiphilinus, (*e*) graviter illum minatum iis, qui moleſtiam exhiberent Chriſtianis, quique illos deferrent, *καὶ τὸν Ἡρακλέα ἐπομνύμενον*, *ac per Herculem juraſſe*, ſe in eos animadverſurum. Athenis autem *Eleuſina* (*f*) *ſacra*

(*c*) Spartian. in Vit. c. 13.

(*d*) Pauſan. in Attic. c. 18. p. 43.

(*e*) Lib. LXX. p. 799. D.

(*f*) Spartian. c. 13.

sacra exemplo Herculis suscepit. Et, quemadmodum Hercules (*a*) peragravit Europam atque Asiam omnem, neque hiemem neque æstum curans, sed pelle indutus sordida, suppetias ferebat bonis, malos puniebat, ita Hadrianus *orbem* (*b*) *Romanum circumivit, capite nudo* (*c*), *& in summis plerumque imbribus atque frigoribus*. Urbes (*d*) tam socias quam subditas magnificentissime juvit, earum tot ipse coram vidit, quot nullus Imperator alius: & omnibus subvenit, dum aliis aquam, aliis portus, annonam, opera quædam, pecunias, honores, aliis alios præbuit atque concessit. Ἐν Κυζίκῳ ναὸν ἔκτισεν καὶ τὴν ἐν αὐτῇ πλατεῖαν ἔστρωσε μαρμάροις. (*e*) *Cyzici Templum ædificavit & plateam marmoribus stravit*. Emensis itaque tot tantisque laboribus, ac bene administrata Rep., novus *Hercules Romanus*, ut alicubi (*f*) dicitur ipse Hadrianus,

— Dura (*g*) *sedens porrecto saxa leone*
Mitigat exiguo magnus in ære Deus.

(*a*) Dio Chrys. Orat. VIII. quæ est de Virtute, vers. fin. p. 136.
(*b*) Eutrop. Lib. VIII. c. 7.
(*c*) Spartian. c. 23.
(*d*) Ex Dio. Xiphil. Lib. LXIX. p. 790. B.
(*e*) Chron. Alex. *Aproniano* II. & *Tampino* Coss. an. Hadr. VII.
(*f*) In num. Græco Thuani.
(*g*) Martial. Lib. IX. Epigr. 44.

Num. II.

ΚΑΙΣΑΡ ΟΛΥΜΠΙΟΣ ΑΔΡΙΑΝΟΣ. *Cæsar Olympius Hadrianus*, capite laureato.

ΕΦΕΣΙΩΝ. *Ephesiorum*. Diana multimammia in Templo figuris duorum cervorum ornato.



EX Philostrato (*h*) discimus, Hadrianum προσκείμενον τοῖς Ἐφεσίοις, *in Ephesios propensum fuisse*. Ephesii autem præter alia, quæ Hadriano præstiterunt, certamina ΑΔΡΙΑΝΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ, (*i*) *Hadrianea Olympia* in ejusdem honorem instituerunt: & hoc in nummo *Olympium*, deducta a Jove Olympio appellatione nominarunt. In parte vero postica *Templum* exhibuerunt, quod *erat Ephesi Dianæ*, (*k*) *& ejusdem in ipso multimammiam, idest multarum mammarum effigiem, quia cultores ejus decepti putabant eam omnium viventium nutricem*. Cervos etiam Templo addiderunt:

Quos (*l*) *decus esse Deæ primi sub limine Cœli*
Roscida secundis concepit Luna cavernis.

(*h*) In Polemone §. 2. Lib. I. de Vit. Sophist. p. 531.
(*i*) Inscript. Farnes.
(*k*) Hieronym. in Ep. Paulli ad Ephes.
(*l*) Claudian. de Laud. Stilic. Lib. III. v. 287.

Num.

Num. III.

ΑΥΤΟ. ΚΑΙ. ΤΡΑΙΑΝΟΣ ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΣΕΒΑ. *Imperator Cæſar Trajanus Hadrianus Auguſtus*, capite laureato.
ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. *Mytilinæorum*. Diana cum face.

IN Lesbo, ſita inter Methymnam & Maliam, *Urbium maxima, Mytilene* (*a*), Μυτιλήνη ἡ μεγίστη πόλις, cudit hunc nummum Hadriano: qui illuc adpuliſſe videtur, quum *per* (*b*) *Aſiam & inſulas ad Achajam navigavit*: eo enim in itinere Urbs Mytilene, duos habens portus, (*c*) rebuſque omnibus bene adparata. *Orbem* (*d*) *Romanum circumibat* tum temporis Hadrianus, inluſtrabatque præſentia: quare Dianam luciferam exhibuerunt Mytilenæi: Ἡ δ' Ἄρτεμις φωσφόρος μὲν ἐπωνομάσθη, διὰ τὸ καὶ αὐτὴν σέλας βάλλειν καὶ φωτίζειν ποσῶς τὸ περιέχον: (*e*) *quæ ideo Lucifera nuncupatur, quod & ſplendorem emittat, cœlumque aliquo modo lumine ſuo inluſtret*.

(*a*) Strab. Lib. XIII. p. 617.

(*b*) Spartian. in Vit. c. 13.

(*c*) Strab. ibid.

(*d*) Eutrop. Lib. VIII. c. 7.

(*e*) Phurnut. de Diana.

T A B. XI.

Num. I.

ΠΟΛΕΜΩΝ ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ ΑΝΕΘΗΚΕ. *Polemon Prætor faciendum curavit*. Vir ſeminudus ſedens, cum haſta pura ſuper humerum ſiniſtrum.

FIdem facit Philoſtratus (*f*), *Polemonem* neque Smyrnæum, ut vulgo creditum, neque, ut viſum nonnullis, ex Phrygibus fuiſſe, ſed Laodicea genitum, Cariæ urbe, Lyco fluvio vicina. Coluerunt eum tamen præ ceteris Smyrnæi: quum enim ab adoleſcentia aliquid in eo magnum agnoviſſent, omnes quas patria habebat coronas, in Polemonis caput congeſſerunt, & ipſi & toti familiæ ejus quidquid eximiorum honorum domi haberent, decernentes. Prætorem itaque agebat Polemon, quum nummum hunc faciendum curavit. Præter alia vero, quæ Smyrnæis præſtitit Polemon, Hadrianum Epheſiis magis faventem, (*g*) ita Smyrnæis immutatum adjunxit, ut uno die

mille

(*f*) Lib. I. de Vit. Sophiſ. n. XXV. §. 3.

(*g*) Philoſtr. ut ſupra §. 2.

mille myriadas in horum civitatem effuderit. Nec tamen Hadriano, sed potius Smyrnæis blandiri voluit Polemon: hoc enim in nummo Homerum, (ut ab Antiquariis creditur vir ille seminudus cum hasta pura, divinitatis symbolo) exhibuit, quem Hadrianus e medio tollere, (*a*) atque Antimachum, cujus ne nomen quidem antea plerisque cognitum erat, introducere cogitabat. Porro *Homerum* (*b*) *Smyrnæi suum esse* contendebant. Ἔστι δὲ καὶ βιβλιοθήκη, καὶ τὸ Ὁμήρειον, στοὰ τετράγωνος ἔχουσα νεὼν Ὁμήρου καὶ ξόανον· ἀντιποιοῦνται γὰρ καὶ Σμυρναῖοι διαφερόντως τοῦ Ποιητοῦ· καὶ δὴ καὶ νομισμά τι χαλκοῦν παρ' αὐτοῖς Ὁμήρειον λέγεται. (*c*) *Eratque* Smyrnæ *Bibliotheca & Homereum, porticus quadrata, Templum habens Homeri & simulacrum: Smyrnæi enim maxime hunc Poëtam sibi vendicabant: unde & numisma quoddam apud eos Homereum vocabatur*: cujusmodi esse potest, quod inlustramus.

(*a*) Ex Dio. Xiphil. Lib. LXIX. p. 790. A.

(*b*) Cicer. pro Archia c. 8.

(*c*) Strab. Lib. XIV. p. 646.

Num. II.

ΚΟΙΝΟΝ ΒΕΙΘΥΝΙΑΣ. *Commune Bithyniæ*. Templum octo columnarum.



PRovinciam Bithyniæ ex iis fuisse, quas beneficiis cumulavit Hadrianus, testis est tum Auctor Chronici Alexandrini, qui ad annum imperii ejusdem septimum scribit: Ἀδριανὸς ἐν Νικομηδείᾳ καὶ Νικαίᾳ ἀγορὰς ἐποίησε, καὶ τετραπλατείας, καὶ τὰ τείχεα τὰ πρὸς τῇ Βιθυνίᾳ: *Hadrianus Nicomediæ & Nicææ fora ædificavit, & quadrivia, ac mœnia, quæ Bithyniam spectant*: tum etiam Syncellus in Chronographia, ubi tradit: Ὁ αὐτὸς Νικομήδειαν σεισμῷ καταπεσοῦσαν, καὶ Νίκαιαν πόλεις Βιθυνίας χρήμασιν ἀνεστήσατο, *Nicomediam terræmotu eversam & Nicæam Bithyniæ urbes, conlatis expensis Hadrianum restaurasse*. Nummi proinde occurrunt, (*d*) Hadriano RESTITVTORI BITHYNIÆ dicati: & hoc ipso in numismate Templum conspicimus, quod a *Communi Bithyniæ* Hadriano erectum, inter ea *sui* (*e*) *nominis* fuisse videtur, quæ per Asiam iter faciens, Hadrianus ipse consecravit.

(*d*) Apud Mediob. Vaill. & Hardu.

(*e*) Spartian. in Vit. c. 13.

Num. III.

Caput Hadriani cum ſpica.
Raptus Proſerpinæ.


CUſum eſſe hunc nummum in Sicilia, ſpica & raptus Proſerpinæ veroſimile reddunt: nam & inter *tria* (*a*) *frumentaria ſubſidia Reip.* Romanæ numerabatur Sicilia, & vetus erat fama, *raptam eſſe* (*b*) *Liberam, quam eamdem Proſerpinam vocabant, ex Ennenſium nemore: qui locus, quod in media eſt inſula ſitus, umbilicus Siciliæ nominatur*. Enna (*c*) autem eſt loco præcelſo atque edito, quo in ſummo eſt æquata agri planities & aquæ perennes: tota vero ab omni aditu circumciſa atque dirempta eſt: quam circa lacus ſunt plurimi & lætiſſimi flores omni tempore anni: locus ut ipſe raptum illum Virginis declarare viſus ſit. Etenim propter eſt ſpelunca quædam converſa ad aquilonem infinita altitudine, qua *Ditem Patrem ferebant repente cum curru exſtitiſſe, abreptamque ex eo loco Virginem ſecum adſportaſſe*, & ſubito non longe a Syracuſis penetraſſe ſub terras, lacumque in eo loco repente exſtitiſſe. Itaque, dum

(*a*) Cicer. pro L. Manil. c. 12.
(*b*) Cicer. Verr. de Signis c. 48.
(*c*) Sequitur Cicer.

Æſtuat (*d*) *ante alias avido fervore legendi*
Frugiferæ ſpes una Deæ, nunc vimine texto
Ridentes calathos ſpoliis agreſtibus implet,
Nunc ſociat flores ſeſeque ignara coronat,
—— —— — rapitur (*e*) *Proſerpina curru.*
Cæſariem (*f*) *diffuſa Noto planctuque lacertos*
Verberat (*g*) *& queſtus ad nubila rumpit inanes.*

(*d*) Claudian. Lib. II. de Rapt. Proſerp. a v. 137.
(*e*) V. 204.
(*f*) V. 247.
(*g*) V. 276.

Dis autem ſeu Pluto *placida mœſtum ſolatur voce dolorem, & exhortatur equos*: quod in nummo videre eſt. Ipſe autem nummus cuſus credi poteſt, quum Hadrianus *in Siciliam* (*h*) *navigavit*.

(*h*) Spart. in Vit. c. 13.



Num. IV.

SABINA HADRIANI UXOR.

ΣΑΒΕΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Sabina Augusta Hadriani Augusti*. Caput Sabinæ.

ΑΓΡΙΠΙΝΟΣ ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ ΑΝΕΘΗΚΕ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Agripinus Prætor fieri curavit Laodicensium*. Rhea stans inter duos leones.



Partianus (*a*) est auctor, Hadrianum suffragante Sura ad amicitiam Trajani plenam pervenisse, *nepte per sororem Trajani uxore accepta*, favente Plotina, Trajano leviter, ut Marius Maximus dicit, volente. Ipsa Hadriani *uxor*, *Sabina* ab eodem Spartiano (*b*) nominatur: & ea est, quam hic nummus exhibet, in quo, quemadmodum in aliis (*c*) *Augusta* inscribitur. At in Chronico Alexandrino & in illo Eusebii nonnisi *decimo* aut *undecimo* imperii Hadriani anno renuntiata *Augusta* legitur: ac simul dicitur, Hadrianum quoque *Patrem Patriæ* tum appellatum fuisse. Nummi tamen & inscriptiones etiam primis imperii temporibus *Patrem Patriæ* illum repræsentant. Quæ conciliari possunt, si dicatur, datum quidem Hadriano ab aliis jam tum imperii initio *Patris Patriæ* nomen, & Sabinæ uxori illud *Augustæ*, sed Hadrianum nonnisi sero illud sibi sumpsisse, & hoc tribuisse uxori. Sane laudatus Spartianus, ut monuimus (*d*), docet (*e*) Hadrianum *Patris Patriæ nomen sibi delatum statim*, h. e. imperii initio, *& iterum postea distulisse*. Nummum nostrum cudit *celeberrima* (*f*) *Urbs Laodicea, imposita Lyco flumini, latera adluentibus Asopo & Capro, appellata prius Diospolis, dein Rhoas*, & inter Phrygias urbes (*g*) maxima. Καὶ ἁπλῶς οἱ Φρύγες Ῥέαν μὲν τιμῶσι καὶ ὀργιάζουσι: (*h*) *Phryges autem omnes Rheam quidem colebant, eique orgia peragebant*: atque heic leones additi sunt, quod

Hanc (i) veteres Grajum docti cecinere Poëtæ,
Sedibus in curru bijugos agitare leones.

(*a*) In Hadr. c. 2.
(*b*) Cap. 1.
(*c*) Vid. Mediob. & al. Antiqu.
(*d*) Vid. Com. ad num. 2. Tab VIII.
(*e*) In Vit. c. 6.
(*f*) Plin. Lib. V. c. 29.
(*g*) Strab. Lib. XII. p. 576.
(*h*) Id. Lib. X. p. 469.
(*i*) Lucret. Lib. II. v. 602.

TAB.

TAB. XII.

Num. I.

ΣΑΒΕΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. *Sabina Auguſta*. Caput ejuſdem ſpicis ornatum.

ꝶΚΟΙΝΟΝ ΒΕΙΘΥΝΙΑΣ. *Commune Bithyniæ*. Templum octo columnarum.

CUſum Hadriano a *Communi Bithyniæ* nummum cum Templo paullo ante vidimus, nunc alterum *Sabinæ* uxori dedicatum cum ſimili Templo præ oculis habemus. Quod ſi unum idemque Templum commune utrique fuit, cultu quidem Bithyni conjungere Auguſtos potuerunt, non tamen amore: nam *uxorem* [*a*] *ut moroſam & aſperam* averſabatur Hadrianus, dimiſſurus etiam, ſi privatus fuiſſet. Sabina vero *palam* [*b*] *jactabat*, *quam immane ingenium pertuliſſet*, *& elaboraſſe*, *ne ex eo ad humani generis perniciem gravidaretur*. Hinc, dum prope ſervilibus injuriis accipitur, ad mortem voluntariam compulſa eſt, non ſine [*c*] fabula veneni dati ab Hadriano: qui tamen *Divam* poſt mortem renuntiavit: Bithyni vero eamdem ad modum Cereris ςάχυσιν ἐςεφανωμένην, [*d*] *ſpicis coronatam* heic exhibuere.

[*a*] Spart. in Hadr. c. 11.
[*b*] Vict. Jun.
[*c*] Spart. in Hadr. c. 23.
[*d*] Phurnut. de Cerere.



Num. II.

ANTINOUS.

ΗΡΩΣ ΑΝΤΙΝΟΟΣ. *Divus Antinous*, pectore tenus. Panthera cum thyrso.



Rofectus ad Orientem Hadrianus, ubi peragrata [*a*] Arabia Pelusium venit, & Pompeji tumulum magnificentius extruxit, *Antinoum suum, dum per Nilum navigat, perdidit, quem muliebriter flevit*. De ipso Antinoo varia fama est, aliis eum devotum pro Hadriano adserentibus, aliis quod & forma ejus ostentat & nimia voluptas Hadriani. *Et* [*b*] *Græci quidem volente Hadriano eum consecraverunt*, oracula per eum dari adserentes, quæ Hadrianus ipse composuisse jactatur. Hinc Ηῥος inscribitur: *Heroas* enim Græci dicebant, quos Romani *Divos* nuncupabant. Ηῥος ἐςὶν, ὅς μήτε ἄνθρωπος ἐςὶν, μήτε Θεὸς, καὶ συναμφότερον ἐςί: inquit Lucianus [*c*]: *Heros* nempe *est*, *qui neque homo est neque Deus*, *& simul utrumque est*. Scribit Pausanias, [*d*] se minime quidem vidisse Antinoum vivum, ejus tamen statuas & imagines conspexisse: αἱ δὲ Ἀντίνου εἰσὶν αἱ πολλαὶ Διονύσῳ μάλιςα εἰκασμέναι, *easque plurimum Bacchi insignia prætulisse*: quemadmodum & nos hoc in numismate videmus: ibi enim est Antinous ad modum Bacchi, *facie* [*e*] *muliebri*, *pectore nudo*, cum thyrso [*f*] & Panthera.

[*a*] Spart. c. 14.
[*b*] Id. ibid.
[*c*] Dial. Mort. in princ.
[*d*] In Arcad. c. 9. p. 617.
[*e*] Albric. de Bacch.
[*f*] Vid. Com. ad num. 1. & 4. Tab. LXVI.

Num. III.

ΗΡΩΣ ΑΝΤΙΝΟΟΣ. *Divus Antinous*. Caput Antinoi. Aries.



Ntinoum, quem modo vidimus præferentem Bacchi insignia, nunc cum illis Mercurii cernimus: aries enim, qui in nummo conspicitur, Mercurio sacer habebatur. Hinc occurrit [*g*] Mercurius super arietem sedens, Geniique Mercuriales ab arietibus vecti. Meminit quoque Pausanias [*h*] Mercurii statuarum, quæ adjunctum habe-

[*g*] Apud Bonarot. pag. 1. & 41. Observ. in num. Carpin.
[*h*] In Messen. c. 33 Eliac. I. in fin. & in Corinth. c. 3.

habebant arietem : cujus rei rationem hanc reddit : ὅτι Ἑρμῆς μάλιςα δοκεῖ Θεῶν ἐφορᾷν κὴ αὔξειν ποίμνας : (*a*) *quod præ ceteris Diis Mercurius greges tueri & augere crederetur* . Antinoum clarius adhuc Mercurii inſignia ferentem nummus exhibet tertius Tabulæ ſequentis.

(a) In Corinth. c. 3.

T A B. XIII.

Num. I.

ΗΡΟΣ ΑΝΤΙΝΟΟΣ . *Divus Antinous* . Caput Antinoi.
ΙΕΡΩΝΥΜΟΣ ΑΝΕΘΗΚΕ ΚΥΜΑΙΟΙΣ . *Hieronymus dedicavit Cumæis* . Pallas armata ſtans haſtamque vibrans.

QUum ſtatuas Antinoo in toto fere orbe Romano (*b*) conlocaſſet Hadrianus , morem ei gerens Hieronymus Cumæorum Prætor , nummum hunc Antinoi imagine inſignitum edi curavit dedicavitque Cumæis. Μεγίςη δὲ ἐςι τῶν Αἰολικῶν κὴ ἀρίςη Κύμη (*c*) : *Erat autem Cuma Æolicarum Urbium maxima atque præſtantiſſima* : colebatque Minervam , quæ hoc in nummo repræſentatur *caput* (*d*) *contecta fulgenti galea , clypeum adtollens , & haſtam quatiens , & qualis illa , quum pugnat* .

(b) Ex Dio. Xiphil. Lib. LXIX. p. 793. B.

(c) Strab. Lib. XIII. p. 622.

(d) Apul. Lib. X. Metamorph.

Num. II.

ΑΥΤ. ΚΑΙΣ. ΤΡΑΙΑΝ. ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΣΕΒ. *Imperator Cæſar Trajanus Hadrianus Auguſtus* , capite laureato.
L. H. *Anno octavo* . Antinous capite faſcia cinto ornatoque Loti flore , ſeu calatho cum palma ad pectus.

NUmmus hic factus in Ægypto videtur. *Eidem Ægypto adjacens civitas , quæ conditorem Alexandrum Macedonem gloriatur , Sarapin atque Iſin cultu pæne adtonitæ venerationis obſervat* , inquit Macrobius (*e*): *omnem tamen illam venerationem Soli ſe ſub illius nomine teſtatur impendere , vel dum calathum capiti ejus infigunt* &c. Oſirin quoque , quem in multo pariter honore habebant Ægyptii , eumdem fuiſſe cum Sole , adeoque & cum Sarapi , idem ita ſubdit Macrobius : (*f*) *nec in occulto eſt , neque aliud eſſe Oſi-*

(e) Saturn. Lib. I. c. 20.

(f) Eod. Lib. c. 21.

rin quam Solem, nec Isin aliud esse quam terram, ut diximus, *naturamve rerum*. Ipsum Osirin, quia frugum culturam excogitasse ferebatur, flore Loti ornabant: Lotus enim copiose (*a*) crescebat in Ægypto, ita ut panem incolæ ad naturalem corporis indigentiam explendam conficerent. *Antinoum* igitur cum calatho ad instar Sarapis, vel cum Loto ad modum Osiris hoc in nummo videre est. Ludos quoque in honorem ipsius Antinoi instituisse Ægyptios, palma significat: quod etiam a Mantinensibus factum (*b*) legimus. Litteræ vero L. H. *annum* Hadriani *octavum* denotant: hac enim littera seu figura L. utebantur veteres Græcorum pro *Lamda*, eamq. ad denotandum annum, postquam etiam littera Λ veteri L substituta est, sequiores retinuere: ne annum ipsum cum annorum numero, nempe xxx., qualem littera Λ notat, confunderent. *Annum* (*c*) itaque *vetustissimi Græcorum* Λυκάβαντα *appellabant*, τὸν ἀπὸ τοῦ Λύκου, *idest Sole* βαινόμενον καὶ μετρούμενον: annorum vero numerum ceteris litteris ordine alphabetico dispositis exprimebant: sexto tamen loco figuram ϛ, ex litteris σ & τ compositam, interponebant. hinc littera H quæ in ordine septimum locum obtinet, numerum *octavum* significat. Auctor Chronici Alexandrini scribit, Hadrianum anno imperii VI. oppidum Antinoi in Ægypto ædificasse. Id autem nonnisi Antinoo mortuo fecit, teste Dione (*d*) Cassio. Eusebius tamen (*e*) Antinoi mortem consecrationemque in annum Hadriani XIII. differt.

(*a*) Diodor. Sic. Lib. I. Bibl. Hist. pag. 13. al. 9. & pag. 30. al. 21. Edit. Rhodomani, seu Hanoviæ 1604.

(*b*) Apud Pausan. in Archad. cap. 9. p. 617.

(*c*) Macrob. Lib. I. Saturn. c. 17.

(*d*) Lib. LXIX. pag. 793. B.

(*e*) In Chronico.

Num. III.

ΗΡΩΟΣ ΑΝΤΙΝΟΟΥ. *Divi Antinoi*. Caput ejusdem flore ornatum.

L. KA. *Anno vigesimo primo*. Antinous Eques cum caduceo.



ESt heic Antinous in antica nummi parte, ut Osiris, flore Loti insignis, conspicuus, quasi nempe hujus exemplo, communi (*e*) omnium consensu immortalitatis præmium paremque Diis cœlestibus honorem adsecutus esset. In altera *adest luculentus* (*f*) *puer nudus, nisi quod ephebica chlamyda sinistrum tegit humerum, flavis crinibus usquequaque conspicuus, quem caduceus & virgula* *Mer-*

(*f*) Diod. Sic. de Osir. Lib. I. p. 18. al. 12.

(*g* Appul. Lib. X. Metam.

Mercurium indicant. Ægyptii itaque cultum non ſolum Oſiris, verum & Mercurii, τῇ μὲν γὰρ ἐνάτῃ ἐπὶ δέκα τοῦ πρώτου μηνὸς ἑορτάζοντες τῷ Ἑρμῇ (*a*), *cui die decima nona primi menſis feſtum celebrabant*, in unum Antinoum ſe contuliſſe hoc nummo profitentur. Annus autem XXI. qui in eo notatur, Hadriani eſt, concurritque cum anno U. C. DCCCXC. Chr. CXXXVII.

(*a*) Plutarch. de Iſid. & Oſir. pag. 378. B.

T A B. XIV.

Num. I.

ΑΝΤΙΝΟΟΝ ΘΕΟΝ Η ΠΑΤΡΙΣ. *Antinoum Deum Patria colit.* Caput Antinoi.

ΒΕΙΘΥΝΙΕΩΝ ΑΔΡΙΑΝΩΝ. *Bithynienſium Hadrianorum.* Mercurius cum bove & aſtro.



On ſolum patria, (ὁ γὰρ Ἀντίνοος ἦν μὲν ἐκ Βιθυνίου πόλεως Βιθυνίδος, ἣν καὶ Κλαυδιόπολιν καλοῦμεν, (*b*) *Bithynium nempe, Bithyniæ civitas, unde ortus erat Antinous, quam civitatem etiam Claudiopolim appellabant*), καὶ πάντες ὡς Θεὸν διὰ φόβου σέβειν ὥρμηντο (*c*), *ſed & reliqui omnes Ethnici Antinoum* poſt mortem *ut Deum colere cœperunt*. Bithynienſes autem Deo patrio aliiſque beneficiis ab Hadriano cumulati, *Hadrianos* ſe vocant. Quumque gregibus & paſcuis (*d*) abundaret regio, Mercurius vero armentorum (*e*) præſes & auctor crederetur, Antinoum ſub Mercurii figura cum *pennatis* (*f*) *talaribus*, boves cuſtodientem exhibent. Aſtrum etiam adjungunt, quum ſidus quoddam ſe videre diceret Hadrianus idque Antinoi, ac familiares hoc ipſum fabuloſe fingentes libenter audiret: (*g*) ἐκ τε τῆς ψυχῆς τοῦ Ἀντινόου οντως τὸν ἀστέρα γεγενῆσθαι, καὶ τότε πρῶτον ἀναπεφηνέναι: *quaſi ſcilicet ex Antinoi anima vere Sidus illud exortum eſſet, ac tum primum adparuiſſet.*

(*b*) Ex Dio. Xiphil. Lib. LXIX. p. 793. A.

(*c*) Juſtin. M. Apolog. I.

(*d*) Strab. Lib. XII. p. 565.

(*e*) Pauſan. Lib. II. c. 3.

(*f*) Fulgent. Lib. I. Mythol.

(*g*) Ex Dio. Xiphil. Lib. LXIX. p. 793. B.

Num. II.

ΗΡΩΣ ΑΝΤΙΝΟΟΣ. *Divus Antinous*, capite nudo.
ΠΟΛΕΜΩΝ ΑΝΕΘΗΚΕ ΣΜΥΡΝΑΙΟΙΣ. *Polemon dedicavit Smyrnæis*. Prora Navis.



Nluſtrat Nummum hunc Philoſtratus, ubi ſcribit: (*a*) ἔδωσαν (οἱ Σμυρναῖοι) τῷ Πολέμωνι ϗ ἐγγόνοις τῆς ἱερᾶς τριήρους ἐπιβατεύειν, *conceſſiſſe Smyrnæos Polemoni ejuſque poſteris, ut ſacram triremem conſcenderent*. Anteſteriore (*b*) etenim menſe Triremis medio acta mari, in forum mitti ſolebat, quam Dionyſii regebat Sacerdos, tamquam gubernator, ancoris e mari levatis: & inter (*c*) adpellendum canebatur, veteris ſignum victoriæ, quam Smyrnæi Dionyſium colentes, de Chiis, qui armis fuerant & navibus muniti, retulerant. Hujus itaque rei memoriam & Smyrnæi & Polemon æternare voluerunt, hic nummis, illi poſito Smyrnæ ad mare in Templo quodam exiguo, Polemonis ſimulacro, (*d*) ὡς ἐπὶ τῆς τριήρους ὠργιάζεν, *eo habitu, quo in triremi orgia obivit*.

(*a*) Lib. I. de Vit. Soph. n. XXV. de Polem. §. 1.
(*b*) Id. ibid.
(*c*) Suid. in Hiſt.
(*d*) Id. Philoſtr. ibid. §. 11.

Num. III.

ΗΡΩΣ ΑΝΤΙΝΟΟΣ. *Divus Antinous*, capite nudo.
ΠΟΛΕΜΩΝ ΑΝΕΘΗΚΕ ΣΜΥΡΝΑΙΟΙΣ. *Polemon dedicavit Smyrnæis*. Bos.



Ræter Antinoum, numen aliud, quo ditari credita eſt imperante Hadriano Ægyptus, Polemon hoc in nummo exhibere voluit, *Apin* (*e*) ſcilicet, *qui, quum repertus eſſet poſt multos annos, turbas inter* Ægypti *populos creavit, apud quem deberet locari, omnibus ſtudioſe certantibus*. Bos erat certis notis inſignitus, qui, ut inveniebatur, *ubertatem* (*f*) *frugum diverſaque indicabat bona* Ægyptiis, adeoque ut numen illum habebant colebantque. Legitur Titus Veſpaſiani F. (*g*) *in conſecrando apud Memphim* hoc *bove Apide diadema geſtaſſe de more rituque priſcæ religionis*. Auguſtus vero (*h*) in peragranda Ægypto paullum deflectere ad viſendum *Apin* ſuperſedit.

(*e*) Spartian. in Hadr. c. 12.
(*f*) Amm. Marcel. Lib. XXII. c. 14.
(*g*) Apud Suet. in Vit. c. 5.
(*h*) Apud eund. in Aug. c. 93.

TAB.

T A B. XV.

Num. I.

ANTONINUS PIUS.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. II. *Antoninus Augustus Pius, Pater Patriæ, Tribunicia Potestate iterum*, capite nudo.
COS. II. *Consul iterum*. Æsculapius.



Ntoninus Pius (*a*) natus est XIII. Kal. Octob. Flavio Domitiano XII. & Cornelio Dolabella Coss. (*b*), in villa Lanuvina: educatus autem est Lauri in Aurelia. Fuit Quæstor liberalis, (*c*) Prætor splendidus, *Consul cum Catilio Severo*. Proconsulatum Asiæ (*d*) sic egit, ut solus avum (Arrium (*e*) Antoninum) vinceret. Mortuo Ælio Vero, quem Hadrianus adoptaverat, Cæsaremque fecerat, *adoptatus* (*f*) *ipse est* V. *Kal. Martias die* (*g*) U. C. DCCCXCI. *factusque est Patri & in imperio Proconsulari & in Tribunicia Potestate conlega*. Hadriano aliquot post mensibus apud Bajas mortuo Antoninum, Αὔγουστον αὐτὸν ϗ Εὐσεβῆ διὰ τοιαύτην αἰτίαν ἐπωνόμασεν ἡ βουλὴ, (*h*) *Augustum & Pium Senatus appellavit*, propterea quod initio principatus sui multis reis factis postulatisque nonnullis nominatim ad supplicium, neminem punivit. Pausanias vero est auctor, (*i*) *Pium* a Romanis cognominatum Antoninum, quod unus omnium religionum studiosissimus fuit. Sane Templa multa (*k*) Diis excitavit restituitque: Æsculapio autem, quem præcipue colebat, quemque in hoc nummo exhibuit, λουτρὸν ἐποίησε δὲ ϗ ναὸν Ἀσκληπίῳ, (*l*) *præter Templum balneum quoque fecit* Epidauri. Hinc & Æsculapius imperante Antonino (*m*) præcipua edere miracula creditus est. *Patris Patriæ* (*n*) *nomen*, quod heic præfert Antoninus, *delatum a Senatu, quod primo distulerat, cum ingenti gratiarum actione suscepit*: & Kal. Januariis anni U. C. DCCCXCII., (*o*) *Consul iterum*, adsumpto conlega Bruttio Præsente, (*p*) processit.

(*a*) Capitol. in princ. Vit.
(*b*) An. U.C. 839. Chr. 86.
(*c*) Capitol. c. 2.
(*d*) Id. c. 3.
(*e*) Plin. Epist. 3. Lib. IV.
(*f*) Capitol. c. 4.
(*g*) Chr. 138.
(*h*) Ex Dio. Xiph. Lib. LXX. p. 799. B.
(*i*) Lib. VIII. c. 43. p. 690.
(*k*) Capitol. c. 8.
(*l*) Pausan. in Corinth. c. 27.
(*m*) Vid. Baron. in Annal. ad an. Chr. 139.
(*n*) Capitol. c. 6.
(*o*) Chr. 139.
(*p*) Fast. Cons.

Num.

Num. II.

ANTONINVS AVG. PIVS P. P. TR. P. XIX. COS. IIII. *Antoninus Auguſtus Pius, Pater Patriæ, Tribunicia Poteſtate* XIX., *Conſul quartum*, capite laureato.

Vir nudus ſtans cum falce in dextra & ramo abſciſſo in ſiniſtra, in vas, quod eſt ſupra baſim, illum impoſiturus. Pone canis & arbor.

(a) Chr. 145. ex Faſt. Conſ.

(b) Chr. 155.

(c) Capitol. in Vit. c. 2.

(d) Id. ibid.

(e) Id. c. 7.

(f) Id. ibid.

(g) Arnob. de Saturno Lib. VI. adverſ. gentes.

(h) Lib. VII. c. 12.



Roceſſit Conſul quartum Antoninus Kalendis Januariis anno (*a*) U. C. DCCCXCVIII., Tribuniciam vero Poteſtatem XIX. iniit quarto Idus Decem. anno (*b*) U. C. DCCCCVIII. Quum autem ipſe eſſet *diligens* (*c*) *agri cultor*, Vertumnum ſive Saturnum, agrorum præſides, canemque eorum cuſtodem hoc in nummo exhiberi curavit. Antoninus itaque *in* (*d*) *omni vita privata in agris frequentiſſime vixit*: & ab Hadriano inter quatuor Conſulares, quibus Italia committebatur, electus eſt ad eam partem Italiæ regendam, in qua plurimum poſſidebat, ut Hadrianus viri talis & honori conſuleret & quieti. Imperium quoque adeptus, *in ſuis* (*e*) *propriis fundis vixit varie ac pro temporibus*: nec ullas expeditiones obiit, niſi quod *ad* (*f*) *agros ſuos* profectus eſt & ad Campaniam. Videtur itaque in nummo *Saturnus*, ſeu Antoninus ipſe, *cum obunca* (*g*) *falce, cuſtos ut ruris, aut aliquis ramorum luxuriantium tonſor*. Adeſt quoque canis, de cujus electione ad villæ cuſtodiam hæc inter alia habet Columella: (*h*) *Villæ cuſtos eligendus eſt ampliſſimi corporis, vaſti latratus canorique, ut prius auditu maleficum, deinde etiam conſpectu terreat: & tamen nonnunquam, ne viſus quidem, horribili fremitu ſuo fuget inſidiantem*.

TAB.

TAB. XVI.

Num. I.

ANTONINVS AVG. PIVS P. P. TR. P. XVIII. *Antoninus Augustus Pius, Pater Patriæ, Tribunicia Potestate* XVIII., capite laureato.

COS. IIII. *Consul quartum*. Hercules ad aram ante Templum cum ministris & juvenco.

Ribuniciam potestatem XVIII. ingressus est Antoninus quarto Idus Decembris anno (*a*) U. C. DCCCCVII., quum novem ante annos (*b*) Consulatum quartum optime gessisset. In parte vero nummi aversa repræsentatur Hercules, quum detecto boum furto, Cacum clava pulsatum occidit, receptisque bubus, ἱδρύεται πλησίον τοῦ τόπου Διὸς εὑρεσίου βωμὸν, ὅς ἐστι τῆς Ῥώμης παρὰ τῇ Τριδύμῳ πύλῃ· καὶ θύει τῷ Θεῷ δάμαλιν ἕνα, τῆς εὑρέσεως τῶν βοῶν χαριστήριον, (*c*) *in proximo aram Jovi inventori posuit, quæ Romæ fuit prope Portam Tergeminam : & ob inventas boves, Deo juvencum unum mactavit*. Quo cognito Evander primus omnium Herculem divinis dignatus est honoribus, exstructaque præ nimio studio ac festinatione ara extemporali, ad aram istam mactavit juvencum injugem, oraculo prius cum eo communicato, precatus ut delibaret victimam. Qui lætus hospitalitate gentis populum excepit epulo, bubus aliquot mactatis exemptisque ex reliqua præda decimis : Reges vero donavit agris Ligurum & quorumdam aliorum finitimorum, expulsis prius inde viris quibusdam immanibus. Præterea incolas regionis rogavit, ut, quando se primi inter Deos recepissent, honorem sibi istum servarent perpetuum, quotannis injugem juvencum mactantes, & ritu græco sacrificium peragentes, sacrorum cura duabus nobilibus familiis demandata. (*d*) Hujusmodi sacra ætate Dionysii Halicarnassensis, qui hæc scribit, quique imperante Augusto floruit, a Romanis ritu mere græco adhuc fiebant : imperante vero Antonino continuata probat hic nummus.

(*a*) Chr. 154.

(*b*) An. U.C. 898. Chr. 145.

(*c*) Dionys. Halic. Lib. I. Antiq. Rom. p. 31. alias 25.

(*d*) Hucusque Dionys.

F Num.

Num. II.

ANTONINVS AVG. PIVS P. P. TR. P. COS. IIII.
Antoninus Augustus Pius, *Pater Patriæ*, *Tribunicia Potestate*, *Consul quartum*, capite laureato.

Antoninus laureatus atque togatus, cum sceptro aquila ornato in sinistra, secum adstantibus duobus parvulis, stat & ipse in curru rotundo a quatuor equis vecto.



ROcessum Consularem simulque triumphalem heic exhiberi opinamur. Quamvis enim *triumphorum*
(a) De Cæsar. *expers* dicatur a Victore (*a*) Antoninus, insignia tamen triumphalia heic præfert, nam & laureatus apparet, & secum habet liberos, curruque vehitur rotundo. Ex ea itaque lauro, quam Aquila in gremium Liviæ ex alto abjecerat, triumphans postea Cæsar ramum in manu te-
(b) Plin. Lib. XV. c. 30. nuit, *coronamque* (*b*) *capite gessit*, *ac deinde Imperatores Cæsares cuncti*. Nec immerito lauream gestat Antoninus, nam
(c) Capitol. c. 5. *& Britannos* (*c*) *per Lollium Urbicum Legatum vicit*, & Mauros ad postulandam pacem coëgit: *& Germanos & Dacos & multas Gentes atque Judæos rebellantes contudit per Præsides ac Legatos*; in Achaja etiam atque Ægypto rebelliones repressit, Alanosque molientes sæpe refrenavit. Hinc & IMP*era-*
(d) Num. apud Mediob. & Harduin. in Hist. Aug. *tor* II. (*d*) ob victorias appellatus est. Currum autem conscendebat triumphator, neque bellicis neque iis similem, qui in ludis adhiberi solebant, ἀλλ' ἐς πύργου περιφερῦς τρόπον ἐξείργαςο,
(e) Zonar. Lib. VII. Annal. XXI. p. 353. (*e*) *sed instar turris rotundæ confectum*, qualis est hic Antonini. Neque solus eo vehebatur: ἀλλ' ἄν γε καὶ παῖδας ἢ συγγενεῖς τίνας
(f) Id. ibid. εἶχε, κἀκείνων τὰς μὲν χόρας καὶ τὰ ἄῤῥενα τὰ τεογνὰ ἐν αὐτῷ ἀνεβίβαζε: (*f*) *sed*, *si liberos aut cognatos aliquot habebat*, *vel suas vel illorum puellas & puellos in eo conlocabat*. Videntur autem cum Antonino in curru duæ parvæ figuræ, quæ duas ejusdem filias
(g) Capitol. c. 1. repræsentare possunt: nam fuerunt ei *mares duo* (*g*), *duæ feminæ*, e quibus mares cito perdidit: seu potius M. Aurelius ac L. Verus simul cum Antonino exhibentur, quos adopta-
(h) Id. cap. 4. vit, quum & ipse adoptatus est ab Hadriano. (*h*) Quia
(i) Prudent. in Rom. v. 148. tamen sceptrum *aquila* (*i*) ornatum Consulisque proprium gestat, procedere simul Consul videtur. Pluries autem procedebant Consules, solemnius tamen Kalendis Januariis, qui-

quibus Consulatum suscipiebant, hujusque possidebant codicillos. Sex alios processus recenset Justinianus, quos legere est Novella cv. *Consulatum* itaque *quartum* iniit Antoninus Kalendis Januariis anno U. C. dcccxcviii. (*a*), ut Fasti Consulares habent. (*a*) Chr. 145.

Num. III.

ANTONINVS AVG. PIVS P. P. TR. P. XXIII. *Antoninus Augustus, Pius, Pater Patriæ, Tribunicia Potestate* XXIII., capite laureato.

COS. IIII. *Consul quartum*. Africa cum promuscide elephanti in capite, spicis in sinistra, dextraque leoni imposita, humi sedet, & Imperatorem stantem adloquitur, dum tropæum aptat Victoria.



Cusus est hic nummus post diem x. Decembris anni U. C. dcccxii. (*b*), qua die iniit Antoninus Tribuniciam Potestatem xxiii. In parte vero ipsius nummi posteriore exhibetur Africa *Spicis* (*c*) *& dente comas inlustris eburno*, Antoninum adloquens, gratiasque ei agens, quod Mauros Libyum (*d*) suis legibus viventium partem maximam, quique inter Nomadas censebantur, Scythicis gentibus eo minus expugnabiles, quod non plaustris sed equis cum uxoribus invecti errabant, quum priores bellum movissent, finibus suis pulsos, in ultimas Libyæ solitudines ad Atlantem montem ejusque montis accolas populos expulit. Tropæum interim Victoria erigit: *nam* (*e*) *de occisis hostibus triumphabant, de pulsis figebant tropæa*. Manum etiam leoni secura imponit Africa, gratulaturque Antonino, quod eodem imperante, qui *moribus* (*f*) *clemens* & *mitis* erat, leones ipsi mansuescerent: nam tum fertur, *quatuor* (*g*) *leones mansuetos sponte se capiendos in Arabia præbuisse*. Africa autem

Et (*h*) *vastos Elephantas habet sævosque Leones,*
In pœnas fecunda suas parit horrida tellus.

(*b*) Chr. 159.
(*c*) Claudian. de Conf. Stilic. Lib. II. v. 256.
(*d*) Pausan. in Archad. c. 43. p. 689.
(*e*) Seru. ad v. 775. Lib. X. Æneid. Virg.
(*f*) Capitol. c. 2.
(*g*) Id. c. 9.
(*h*) Manil. Astron. Lib. IV. v. 669.

TAB. XVII.

Num. I.

Puella prope arborem ſtans, ſerpentem paſcit involutum circa icunculam ſupra menſam.

(a) Capitol. c. 1. & 8.

(b) Ælian. Lib. XI. de Animal. c. 16.

Xhibetur heic fabula de ſerpente apud Lanuvium, quo in (a) municipio natus erat, cujuſque *Templa* reſtituerat Antoninus. In Lanuvio itaque ſacer erat (b) Lucus, magnus & opacus, juxtaque ipſum ædes Junonis Argolidis, & in ipſo luco latibulum amplum & profundum, Draconis cubile. [Lucum indicat in nummo arbor, Junonem icuncula, ædemq. menſa]. In lucum quotannis Virgines certis diebus ingrediebantur, quæ mazam geſtabant manibus, oculos faſciis devictæ. Quod ſi Virgines erant, cibos tamquam puros & numini gratæ animanti convenientes admittebat Draco: ſin minus, non adtingebat, corruptas eſſe intelligens atque divinans. Audiamus hæc ipſa canentem Propertium. (c)

(c) Lib. IV. Eleg. 8.

Lanuvium annoſi vetus eſt tutela Draconis,
Heic ubi tartareæ non perit hora moræ.
Qua ſacer abripitur cæco deſcenſus hiatu,
Qua penetrat Virgo, tale iter omne cavum.
Jejuni ſerpentis honos, quum pabula poſcit
Annua, & ex ima ſibila torquet humo.
Talia demiſſæ pallent ad ſacra puellæ,
Quum tenera anguineo creditur ore manus.
Ille ſibi admotas a Virgine corripit eſcas:
Virginis in palmis ipſa caniſtra tremunt.
Si fuerint caſtæ, redeunt in colla parentum,
Clamantque agricolæ: fertilis annus erit.

Num. II.

Pomus, circa quam involutus Draco, hinc Hercules poma auferens, inde tres Hesperides fugientes.

QUarta *fortitudo Herculis scribitur*, (*a*) *qua dicitur Hesperides spoliasse, quæ fuerant Atlantis Regis Africæ filiæ. Hæ hortum habebant, in quo erant mala aurea, Veneri consecrata, ad quorum custodiam Draco numquam dormiens positus erat. Quæ poma Hercules abstulit, occiso Dracone*. Nam virtus animi non potest fructum capere virtutum, nisi malitia prius interimatur. Antoninus itaque malitiam interemerat, quippe qui *moribus clemens*, (*b*) *vultu placidus, sobrius, mitis, largus, alieni abstinens*, & omnia hæc cum mensura & sine jactantia.

(*a*) Albric. de Deor. Imag.

(*b*) Capitol. in Vit. c. 2.

Num. III.

AT. K. T. AI. ΑΔΡΙΑ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ. *Imperator Cæsar Titus Ælius Hadrianus Antoninus*, capite laureato.

ΕΦΕΣΙΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Ephesiorum bis Neocorûm*. Diana in Templo octo columnarum.

SCribit Herodotus, (*c*) Ephesios, quum a Crœso obsiderentur, ἀνέθεσαν τὴν πόλιν τῇ Ἀρτέμιδι, *Urbem Dianæ consecrasse*, fune ex ejus æde ad murum adligato: quo facto Dianæ sacri seu Neocori evaserunt. Hinc crevit cultus simulque superstitiosa hæc Neocoros sese appellandi ambitio, adeo ut Apostolorum Christi temporibus, quidam in communi Asiæ conventu exclamare non dubitaverit: (*d*) Τίς γάρ ἐστιν ἄνθρωπος, ὃς οὐ γινώσκει τὴν Ἐφεσίων πόλιν Νεωκόρον οὖσαν τῆς μεγάλης Θεᾶς Ἀρτέμιδος; *Quis est hominum, qui nesciat Ephesiorum civitatem cultricem esse*, h. e. Neocoram *magnæ Dianæ?* Postquam autem in Romanorum potestatem devenerunt Ephesii, sacris privilegiis sacrisque honoribus, Dianæ ipsius gratia ab illis cumulati, se *bis Neocoros* nuncuparunt. Ostentant itaque hoc in nummo, Dianæ τοῦ Διοπετοῦς, (*e*) *a Jove delapsæ* simulacrum, ejusque Templum exhibent, quod jam tum Servii Romanorum Regis tempore *erat*

(*c*) Lib. I. c. 26.

(*d*) Act. Apost. Cap. XIX. v. 35.

(*e*) *seu Jovis prolis*. ibid.

erat (*a*) *inclytum*, idque communiter a Civitatibus Asiæ factum fama ferebat. De Urbibus Neocoris fusius alibi (*b*) tractamus.

(*a*) Liu. Lib. I. c. 45.
(*b*) Animadv. de Neocor.

Num. IV.

ΕΦΕΣΙΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩ. ΠΡΩΤΩΝ ΑΣΙΑΣ. *Ephesiorum bis Neocororum, Primorum Asiæ*. Diana cippo imposita, stantibus hinc inde duobus viris togatis.



EX duobus hisce viris togatis, qui Dianæ adstant, alter est Antoninus, alter est vel Hadrianus, a quo adoptatus est Antoninus, vel Marcus Aurelius, quem Antoninus ipse adoptavit, vel etiam Antonini Avus, maternus Arrius Antoninus (*c*), qui Proconsul Asiæ fuit, eoque munere optime functus est, adeo ut *solus* (*d*) Antoninus *Avum vinceret*. Memores itaque horum pietatis erga Dianam Ephesii, gratique plurimis, quæ ab ipsis acceperant, beneficiis, eosdem heic juxta Dianam, qua nihil sanctius nihilque inlustrius habebant, exhibuerunt: Τὴν δὲ μεγαλειότητα τῆς Ἀρτέμιδος ὅλη ἡ Ἀσία καὶ ἡ οἰκουμένη σέβεται. (*e*) *Quumque Dianæ majestatem tota Asia Orbisque coleret*, & lumen (*f*) Asiæ esset Ephesus, καὶ ἐμπόριον μέγιστον τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν τὴν ἐντὸς τοῦ Ταύρου, (*g*) *atque Emporium, eorum, quæ intra Taurum erant, maximum*, Primos ejusdem Asiæ, quo ceteris Urbibus dignitate & honore præstare dignoscerentur, heic se nuncuparunt. De *Primorum* significatione integram habes Lector post hosce Commentarios Animadversionem.

(*c*) Plin. Lib IV. ep. 3. & Capitol. in Anton. c. 1.
(*d*) Id. c. 3.
(*e*) Act. Apost. Cap. XIX. v. 27.
(*f*) Plin. Lib. V. c. 29.
(*g*) Strab. Lib. XIV. p. 641.

Num. V.

ΦΛ. ΝΕΑΣ ΠΟΛΕΩΣ ΣΥΡΙΑΣ ΠΑΛΑΙΣΤΙΝΗ:. *Flaviæ Neapolis Syriæ Palæstinæ*. Mons cum Templo & gradibus.



IUdæam atque Galilæam Samaritidemque complectebatur (*h*) Syria Palæstina. Ἡ τῶν Σαμαρέων Μητρόπολις Σιχάρ, ἡ μετὰ ταῦτα κληθεῖσα Νεάπολις: (*i*) *Metropolis autem Samaritanorum* erat *Sichar*, *postea dicta Neapolis*, sita inter duos colles, quorum pedibus, fundamentis ipsa suis, qua longius protendebatur, inhærebat: in valle quip-

(*h*) Joseph. Lib. III. de Bell. c. 3. al. 2. Ptolem. Lib. V. cap. 16. Tacit. Lib. V. Hist. c. 6.
(*i*) Phocas.

(*a*) quippe jacebat inter montem Garizim & montem Ebal. Garizim autem is fuit, qui Templum habuit Hieroſolymitano ſimile; quod nempe Sanaballetes Chutæus, Darii poſtremi Perſarum Regis in Samaria Satrapa, (*b*) Manaſſi Judæo Sacerdoti, filiæ ſuæ marito, Jaddique ſummi apud ipſos Judæos Pontificis Fratri, quum patrio Sacerdotio ob ductam alieni generis uxorem, ni dimitteret, privare vellent Judæi, faciendum curavit, colendumque ritu Judaico tradidit. Poſtea temporis, quum Antiochus Epiphanes Syriæ Rex, (*c*) Hieroſolymis fraude captis ſpoliataque urbe & Templo, maximam Judæis inflixiſſet cladem, Samaritæ videntes Judæos iſta pati, non amplius ſibi cum ipſis cognationem eſſe præſeferebant, neque Gazaritanum eſſe Dei Maximi, ut prius fatebantur, dicentes ſe eſſe Medorum Perſarumque colonos. Quapropter Legatos miſerunt ad Antiochum precibuſque impetrarunt, ut & culpa, quam apud ipſum ob eumdem cum Judæis cultum ſuſtinebant, liberarentur, ϗ τὸ παρ᾽ αὐτοῖς ἱερὸν προσαγορευθήτω Διὸς Ἑλληνίε, (*d*) *& eorum Templum Jovis Hellenii cognominaretur*. Hyrcanus (*e*) autem Judæorum Pontifex ac Princeps poſt mortem Antiochi Pii, alterius Syriæ Regis, expeditione in Syriam ſuſcepta, captiſque aliquot urbibus, Sicima quoque & Garizim, Chutæorumque gentem, quæ Templum illud accolebat, ſubjecit, evertitque Templum ipſum, μετὰ ἔτη διακόσια, (*f*) *ducentis poſtquam duravit annis*. Aliquando tamen reſtitutum nummus indicat, aliique confirmare videntur, Caracallæ ſc., (*g*) Macrini, Elagabali, Maximini, Philippi atque Voluſiani. Imperante demum Zenone, quum in Chriſtianos irruiſſent Samaritani, multoſque confeciſſent, in Samaritanos ipſos animadvertit Imperator, exactiſque monte Garizim, hunc Chriſtianis addixit: (*h*) Ἐκκλησίαν τε ἄνω δειμάμενος τῇ Θεοτόκῳ ἀνέθηκε, *& Eccleſiam in culmine Deiparæ ædificavit*. De gradibus hujus montis, quos nummus exhibet, ita Auctor Itinerarii Hieroſolymitani, qui ſcripſit *Delmatio & Xenophilo Coſſ.*, h. e. anno (*i*) U. C. MLXXXVI., *Adſcenduntur uſque ad ſummum montem gradus numero* CCC.

(*a*) Benjam. in Itiner. p. 66.

(*b*) Joſeph. Lib. XI. Ant. c. 8.

(*c*) Id. Lib. XII. c. 5. al. 7.

(*d*) Id. ibid.

(*e*) Id. Lib. XIII. c. 9. al. 17.

(*f*) Id. ibid. & Lib. I. de Bell. c. 2. §. 6.

(*g*) Apud Vaill. in Græc. & Colon. & apud Harduin. in num. Popp.

(*h*) Procop. de Ædif. Lib. V. c. 7.

(*i*) Chr. 333.

TAB.

TAB. XVIII.

Num. I.

ANTONINVS AVG. PIVS P. P. TR. P. COS. III.
Antoninus Augustus, Pius, Pater Patriæ, Tribunicia Potestate, Consul tertium, capite laureato.
Sol quadrigam circa Zodiacum agens, sedente subtus muliere cum spicis in dextra, & cornucopiæ in sinistra.

(a) Vict. de Cæsar.
(b) Capitol. in Anton. c. 7.
(c) Id. c. 8.
(d) Tibull. Lib. I. Eleg. X. in fin.
(e) Fulgent. Lib. I. Mythol. in Apolline.
(f) Lib. I. de Laud. Justini c. 17.



Uum imperante Antonino *pace* (*a*) *jugi* gauderent fruerenturque Romani, & *Provinciæ* (*b*) *sub eo cunctæ florerent*, Solem heic & Pacem frugibus abundantem exhiberi curarunt. Fames quidem aliquando advenit, sed Antoninus *vini*, (*c*) *olei*, *& tritici penuriam per Ærarii sui damna emendo & gratis populo dando sedavit*. Videre itaque est in nummo Pacem sedentem, h. e. jugem manentemque, cum spicis & cornucopiæ, qualem exoptaverant, hisque votis petierant Romani:

At (*d*) *nobis Pax alma veni, spicamque teneto:*
Perfluat & pomis candidus ante sinus.

Superius vero Solem, cui abundantia ipsa accepta referri solet, per Zodiaci signa quadrigam agentem conspicere est. Porro Soli quadrigam adscripserunt, (*e*) illam ob caussam, quod aut quadripartitis temporum varietatibus anni circulum peragat, aut quod quadrifido limite diei metiatur spatium. Signa vero addiderunt duodecim, specie modisque distincta, quæ duodecim tempora seu menses significant. Notarunt præterea, Solem præter diurnam eamque ab oriente in occasum conversionem, moveri etiam intra Zodiacum in contraria stadia, brumale nempe & æstivum. Quapropter ita cecinit Corippus. (*f*)

Solis honore novi grati spectacula Circi
Antiqui sanxere Patres, qui quatuor esse
Solis equos quadam rerum ratione putabant,
Tempora continui signantes quatuor anni.
In quorum specie, signis, numerisque, modisque
Aurigas totidem, totidem posuere colores,
Et fecere duas stadia in contraria partes,
Ut sint æstivis brumalia frigora flammis.

Num.

Num. II.

FAUSTINA ANTONINI PII UXOR.

DIVA AVG. FAVSTINA. *Diva Augusta Faustina*. Caput ejusdem.

SECVRITAS. Faustina inter duo copiæ cornua sedens, dextram capiti supponit, sinistra serpentem tenet.



ANtonino Pio, quum adhuc esset privatus, *Uxor* (*a*) fuit *Annia Faustina*, & ex ea filii mares duo, duæ feminæ. De Faustina multa (*b*) dicta sunt ob nimiam libertatem & vivendi facilitatem, quæ Antoninus cum animi dolore compressit. Ut vero imperium hic adsumpsit, *Faustinam*, (*c*) *Augustam appellari a Senatu permisit*. *Tertio* (*d*) *anno imperii sui Faustinam Uxorem perdidit: quæ a Senatu consecrata est, delatis Circensibus atque Templo & Flaminicis & statuis aureis atque argenteis: quum etiam ipse hoc concesserit, ut imago ejus cunctis Circensibus poneretur*. Ad hæc puellas (*e*) alimentarias, in honorem Faustinæ, Faustinianas constituit. Multa etiam numismata huic cusa & dedicata sunt, inter quæ hoc ipsum, in quo sub *Securitatis* typo, inter duo copiæ cornua sedens ipsa Faustina, jugique salute, cujus symbolum serpens, & pace, utpote inter Divos relata, fruens exhibetur.

(*a*) Capitol. in Anton. c. 1.
(*b*) Id. c. 3.
(*c*) Id. cap. 5.
(*d*) Cap. 6.
(*e*) Cap. 8.

TAB. XIX.

Num. I.

ΦΑΥΣΤΕΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. *Fauſtina Auguſta*. Caput ejuſdem. ΤΙΑΝΩΝ. *Tianorum*. Caput muliebre turritum.



SPectat hic nummus ad alteram Fauſtinam, filiam ſc. Fauſtinæ, de qua modo, uxoremque Marci Aurelii, qui poſt Antoninum imperavit; ut ex conlatis nummis (*a*) ſatis patet. Τίος πόλις Παφλαγονίας τȣ͂ Πόντȣ (*b*) κ. λ. *Tios* autem, cujus eſt hoc numiſma, *Urbs fuit Paphlagoniæ Ponti*, a Tio Sacerdote, genere Mileſio, ut Philon prodidit, condita. Demoſthenes vero in Bithyniacis ait, conditorem oppidi fuiſſe Patarum, capta Paphlagonia, ϗ ἐκ τȣ͂ τιμᾷν τὸν Διὰ Τίον προσαγορεῦσαι, *& a cultu Jovis Tium appellaſſe*. At vero Tiani conditorem venerabantur Dionyſium, uti ex nummo conſtat M. Aurelii inſcripto (*c*) ΔΙΟΝΥΣΟΣ ΚΤΙΣΤΗΣ ΤΙΑΝΩΝ, *Dionyſius Conditor Tianorum*. Strabonis tempore, h. e. imperante Tiberio, τὸ Τήϊον ἤδη πολίχνιον, (*d*) *oppidulum* erat *Teïum*, quod nihil memoria dignum habebat, niſi quod inde Philetærus ortus eſſet, a quo genus Attalicorum Regum exſtitit. Creviſſe tamen ſubſecutis temporibus ex eo conligi poſſe videtur, quod nummos percuſſit, & in ipſis, Genium Urbis turritum exhibuit: quo typo Urbes munitæ exprimi ſolebant. Hinc de Cybele Lucretius (*e*)

Muralique caput ſummum cinxere coronæ,
Eximiis munita locis quod ſuſtinet Urbes.

(*a*) Confer num. ſuper. cum hoc & tertio Tab. XXIII. ac primo XXIV.
(*b*) Stephan. de Urbib.
(*c*) Apud Hardu. ex Muſ. Foucault. pag. 170. Oper. Sel.
(*d*) Lib. XII. p. 543.
(*e*) Lib. II. de Nat. Rer. v. 608.



Num.

Num. II.

M. AURELIUS.

AVRELIVS CAESAR AVG. PII F. TR. P. II. COS. II. *Aurelius Cæſar, Auguſti Pii Filius, Tribunicia Poteſtate ſecundum, Conſul ſecundum*, capite nudo.
Juppiter ante aram accenſam ſtans, cum aquila in dextra, & ſceptro in ſiniſtra.



QUum poſt obitum (*a*) L. Cæſaris Hadrianus ſucceſſorem imperii quæreret, nec idoneus, utpote decem & octo annos agens *Marcus* haberetur, Amitæ Marci virum, Antoninum Pium Hadrianus ea lege in adoptionem legit, ut ſibi Marcum Pius adoptaret. Tunc primum *pro* (*b*) *Annio Aurelius cœpit vocari, quod in Aureliam, h. e. Antonini adoptionis jure tranſiſſet*. Poſt exceſſum Hadriani, *Conſulem* (*c*) *ſecum Pius Marcum deſignavit* in annum (*d*) U. C. DCCCXCIII., *& Cæſaris appellatione donavit*: & in conlegia Sacerdotum jubente Senatu recepit. *Secundum* (*e*) *etiam Conſulem deſignavit, quum ipſe quartum pariter iniret* anno U. C. DCCCXCVIII. (*f*) Poſt hæc Fauſtinam, Pii filiam Marcus, duxit uxorem, & ſuſcepta filia, *Tribunicia* (*g*) *Poteſtate* (*h*) *donatus eſt, atque imperio extra urbem Proconſulari, addito jure quinctæ relationis*. In conlegia itaque Sacerdotum receptus Marcus, aram hoc in nummo Jovi accenſam exhibet. Juppiter autem & ſceptrum in ſignum ſupremi dominii tenet, προτείνε δὲ τῇ δεξιᾷ ἀετὸν, ὅτι νίκηκεν αὐτὸς πάντα, (*i*) & *protendit dextra Aquilam, quia ipſe omnia ſuperaſſe* ferebatur. Cuſus eſt hic nummus poſt diem x. Decembris U. C. DCCCC. (*k*) qua TR*ibuniciam* P*oteſtatem* II. auſpicatus eſt Marcus.

(*a*) Capitol. in M. c. 5.
(*b*) Id. ibid.
(*c*) Id. c. 6.
(*d*) Chr. 140.
(*e*) Id. ibid.
(*f*) Chr. 145.
(*g*) Id. ibid.
(*h*) An. U. C. 900. Chr. 147.
(*i*) Porphyr. apud Euſeb. Lib. III. Præpar. Eu. c. . .
(*k*) Chr. 147.

Num. III.

M. ANTONINVS AVG. ARM. PARTH. MAX. *Marcus Antoninus Auguſtus*, *Armeniacus*, *Parthicus Maximus*, capite laureato.

TR. P. XXII. IMP. IIII. COS. III. *Tribunicia Poteſtate* XXII., *Imperator quartum*, *Conſul tertium*. Juppiter prægrandi ſtatura, Marcum & Lucium Imperatores pallio protegens, dextra fulmen, ſiniſtra haſtam tenet.



Onſul tertium proceſſit Marcus cum Lucio Vero Kalendis Januariis anni [*a*] U. C. DCCCCXIV., vivo adhuc & imperante Antonino, cujus nomen heic gerit, utpote ab ipſo adoptatus accituſque ad imperium. Die autem ſeptima Martii ejuſdem anni vita functo Antonino, *a Senatu* [*b*] *coactus eſt regimen publicum capere* Marcus: ipſe vero *Cæſarem* [*c*] *atque Auguſtum* ſecum *dixit* Lucium Verum. Non multo poſt fuit [*d*] Parthicum bellum, quod Vologeſus paratum ſub Pio, Marci & Veri tempore indixit, fugato Atilio Corneliano, qui Syriam tunc adminiſtrabat. Ad hoc bellum Senatu conſentiente, Verus miſſus eſt: Marcus Romæ remanſit, quod res urbanæ Imperatoris præſentiam poſtularent. Marcus itaque horis omnibus Reipublicæ actibus incubavit, & omnia, quæ ad bellum erant neceſſaria, Romæ poſitus & diſpoſuit & ordinavit. *Geſtæ* [*e*] *ſunt res in Armenia proſpere per Statium Priſcum Artaxatis captis, delatumque Armeniacum nomen utrique Principum; quod Marcus per verecundiam primo recuſavit, poſtea tamen recepit. Profligato autem bello, uterque Parthicus appellatus eſt: ſed hoc quoque Marcus delatum nomen repudiavit, quod poſtea recepit*. Belli Parthici tempore Babylonem [*f*] & Mediam pervenerunt duces Lucii, partumque eſt ipſi nomen Medici, quod etiam Marco Romæ agenti delatum eſt. Triplicem quoque Imperatoris titulum pro tribus hiſce ſubactis Provinciis uterque reportavit: qui, quum jam propter imperium Imperatores dicerentur, *Imperatores* [*g*] *quartum* exinde audierunt. Quum vero protectos ſe a Jove his in bellis crederent, idipſum teſtatum vulgatumque typo hujus nummi

[*a*] Chr. 161.
[*b*] Capitol. in Vit. c. 7.
[*c*] Id. ibid.
[*d*] Id. c. 8.
[*e*] Id. c. 9.
[*f*] Capitol. in L. Vero c. 7.
[*g*] Vid. Animad. de Tit. Imp.

mi voluerunt : ubi Jovem ipſum Σωτῆρα, (*a*) *Servatorem* haſta & fulmine armatum videre eſt, quo cominus eminuſque Imperatorum hoſtes ferire poſſe dignoſcatur. Edi vero curavit hunc nummum Marcus, poſtquam die x. Decembris anni (*b*) U. C. DCCCCXX., TR*ibuniciam* P*oteſtatem* XXII. ingreſſus eſt.

(*a*) Phurnut. de Jove.

(*b*) Chr. 167.

T A B. XX.

Num. I.

IMP. VI. COS. III. VICT. GERM. *Imperator ſextum*, *Conſul tertium*, *Victoria Germanica*. Victoria quadrigam equorum agens.



Iximus, Verum profligato bello orientali reportaſſe, Marcoque peperiſſe titulum *Imperatoris quartum*. At vero *quintum* adepti ſunt hunc titulum, quum ambo Imperatores profecti ſunt paludati contra Victovalos & Marcomannos cuncta turbantes, (*c*) aliaſque gentes, quæ pulſæ a ſuperioribus barbaris, quum fugiſſent, niſi reciperentur, bellum inferebant. Nec enim parum profuit iſta profectio, quum Aquilejam uſque veniſſent: nam plerique Reges & cum populis ſuis ſe retraxerunt, & tumultus auctores interemerunt. Quadi autem amiſſo Rege ſuo, non prius ſe confirmaturos eum, qui erat creatus, dicebant, quam id placuiſſet Rom. Imperatoribus. Rebus itaque compoſitis ad hunc modum, quum urgeret Lucius reditum ad Urbem, (*d*) poſtquam iter ingreſſi ſunt, ſedens cum Marco in vehiculo Lucius apoplexi arreptus periit. Poſt cujus mortem Marcus *contra Germanos* (*e*) *res feliciter geſſit*: indeque *Imperator ſextum* appellatus eſt. Specialiter itaque bellum hoc Marcomannicum, ſed quantum nulla umquam memoria fuit, tum virtute tum etiam felicitate tranſegit Marcus, & quidem eo tempore, quo peſtilentia gravis multa millia & popularium & militum interemerat. *Pannonias* (*f*) *ergo Marcomannis*, *Sarmatis*, *Wandalis*, *ſimul etiam Quadis extinctis*, *ſervitio liberavit & Romæ triumphavit*. Deſcribit Mediobarbus (*g*) nummos Marci TR*ibunicia* P*oteſtate* XXIII., ſimulque titulo GERMANICI, eoque IMP*eratoris* VI. inſignitos; qui ſi recte

(*c*) Capitol. in M. c. 14.

(*d*) Id. ibid.

(*e*) Id. c. 17.

(*f*) Id. ibid.

(*g*) Pag. 221.

(a) Chr. 169. recte habent, relatam anno (*a*) U. C. DCCCCXXII. Germanicam Victoriam evincunt: nam tum Marcus eamdem agebat Tribuniciam Poteſtatem. Victoriam ipſam, ne dum in quadriga, ſed etiam alatam hoc in nummo expreſſam videre eſt: (b) In Panegyr. & *recte profecto*, inquit Drepanius Pacatus, (*b*) *germana illa Pictorum Poëtarumque commenta Victoriam finxere pennatam, quod hominum cum fortuna euntium, non curſus eſt, ſed volatus*.

Num. II.

COS. III. *Conſul tertium*. Victoria alata columnæ innixa ſtans, dextra coronam tenet, ſiniſtra palmam.



E Victoria alata modo diximus. At vero, quemadmodum Athenis, ita etiam Romæ ſimulacrum Victoriæ ſine alis, ut inde non evolaret, fuit, qua (c) Antolog. Lib. IV. c. 21. de re ita quidam (*c*):

Ῥώμη παμβασίλεια τεὸν κλέος ὄυποτ' ὀλεῖται,
Νίκη γὰρ σε φυγεῖν ἄπτερος οὐ δύναται.

Roma omnium Regina, tuum decus numquam peribit: Victoria enim te effugere ſine alis non poteſt. Hoc autem in nummo immota columnæque innixa facta eſt ipſa Victoria, quod ſecuros ab hoſtibus Romanos Marcus reddidiſſet. Palmam vero & coronam, quibus Imperatorem ipſum ornet, tenet. (d) De Laud. Stil. v. 205. Hinc Claudianus (*d*) canit:

O palma viridi gaudens, & amicta tropæis
Cuſtos imperii Virgo.

Quum itaque profecti Marcus & Lucius contra Marcoman- (e) Capit. in M. c. 14. nos (*e*) Aquilejam uſque veniſſent, barbari quieverunt. Marcus autem fingere barbaros exiſtimans & fugam & cetera, *quæ ſecuritatem bellicam oſtenderent*, ob hoc ne apparatus Romani mole premerentur, inſtandum eſſe ducebat. Quare tranſcenſis Alpibus longius proceſſerunt, *compoſueruntque omnia*, (f) Id. ibid. (*f*) *quæ ad munimen Italiæ atque Illyrici pertinebant*. Hinc parta Romanis vera ſecuritas.

Num.

Num. III.

ΑΤ. ΚΑΙ. Μ. ΑΤΡΗ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Antoninus*, capite laureato.

ΕΠΙ ΛΕΩΝΟΣ ΚΑ. ΙΕΡΕΟΣ ΔΙΑ ΒΙΟΤ ΤΩ ΣΕΒ. ΓΛΤΚΩΝΟΣ ΕΤ. ΗΠ. ΠΕΡΠΕΡΗ. *Sub Leone Cærea Sacerdote perpetuo Templi Glyconis. Anno octogeſimo octavo Perperenorum*. Bacchus ſtans cum cantharo in dextra, & thyrſo in ſiniſtra, corona hederacea in capite, & tigri ad pedes.

IMperante Antonino, ſi fides Luciano, impoſtor quidam Paphlago, (*a*) nomine Alexander, nactus mulierem opulentam, eam in patriam uſque, quæ Pella erat Macedoniæ, conſecutus eſt. Ibi, quum immani magnitudine Dracones, placidos admodum & manſuetos conſpexiſſet, mercatus eſt ex his unum, qui eſſet pulcherrimus, obolis ſane paucis; profectuſque Chalcedonem in Apollinis templo, quod ibi erat vetuſtiſſimum, æreas defodit tabellas, quæ dicerent, brevi admodum Æſculapium una cum patre Apolline in Pontum adventurum, atque Aboni-murum (*b*) inhabitaturum. Eæ tabellæ, quum eſſent de induſtria repertæ, facile effecerunt, ut hic rumor in omnem uſque Bithyniam ac Pontum dimanaret, tum etiam abſque mora in Aboni-murum, Alexandri patriam. Finxit itaque Alexander paravitque e linteis confectum Draconis caput, quod ſpeciem quamdam humanam præferret, colorum fucis mire adſimulatum, quodque pilis equinis os & aperiret & clauderet: tum lingua, ſicut & draconum, biſulca atra prominebat, quæ & ipſa pilis agebatur. Porro Pellæus ille Draco jam pridem erat in promptu, domique alebatur. Aboni itaq. murum petens, noctu venit ad Templi fundamenta nuper effoſſa; illic ovum antea excavatum deponit, quod quidem intus occultabat fœtum recens editum ſerpentis. Mane, quum in forum proſiluiſſet, conſcenſa ara concionabatur, civitatem eam beatam eſſe prædicans, quæ mox Deum propalam eſſet oſtenſura mortalibus. Hinc ad Templum curriculo fugiens, accedenſque ad foſſam ac fontem illum, quem jam ante præſtruxerat, ingreſſus aquam, magna voce canebat laudes Apollinis & Æſculapii, invitabatque Deum, uti dexter ac felix in

(*a*) Lucian. in Pſeudomant.

(*b*) Seu Aboni munimentum.

in civitatem adveniret. [Notum eſt, ſpecie Draconis latere creditum cultumque ab antiquis Æſculapium.] Hinc ovum haurit, quumque manu cepiſſet, adfirmabat Æſculapium tenere ſeſe. fracto ovo ſerpentis illius fœtum excluſum excepit, vocem extollentibus adſtantibus Deumque ſalutantibus. Ille vero rurſum curſim ſeſe domum abripuit, una ſecum adſportans modo editum in lucem Æſculapium. Sparſo rumore repletaque mox Paphlagonibus urbe, in lecto Alexander reſidens eo ornatu, qui vatem decebat, imponit in ſinum Pellæum illum Æſculapium. Hunc totum ubi collo circumdediſſet, caudam foras prominere ſinens, ſolum autem caput ſub alis abditum tenens, illo nimirum omnia ferente, linteaceum illud Draconis caput, altera in amictus parte contextum oſtendebat, quod prorſum illius eſſe Draconis videretur, qui a pectore prominebat; ſtupentibus omnibus ex modo puſillo ſerpente intra paucos dies tam immanem exſtitiſſe Draconem, humana ſpecie, atque eum inſuper manſuetum tractabilemque. Hinc nomen inditum, Γλύκων γαρ ἐκαλεῖτο, (a) *& Glycon appellatus eſt*, divino prodito carmine; ad hunc enim modum locutus eſt pro eo Alexander. Εἰμὶ Γλύκων, τρίτον αἷμα Διὸς, φάος ἀνθρώποισι: *Sum ille Glycon, hominum lux, ex Jove tertia proles*. Confectæ ſtatim picturæ, imagines, ſigna Deum hunc referentia, deſtinatæ aræ atque Templa, confectumque ab Alexandro plurimum pecuniæ. Perpereni itaque Myſiæ (b), ſive Lydiæ (c), aut Æolidis (d), cultum *Glyconis* mox adſciviſſe, & aram aut Templum, quæ ΣΕΒάσματα (e) apud Græcos, quemadmodum apud Latinos *loca religioſa* (f), *& in quibus augurato quid conſecraretur, Auguſta dicebantur*, dedicaſſe, & Sacerdotem perpetuum deſtinaſſe Leonem videntur. Cultum tamen etiam Bacchi, (g) ut nummus indicat, retinuerunt. Eſt alius nummus Marco a Perperenis cuſus, (h) qui Æſculapium ſtantem exhibet. De Perperenorum æra, cujus annum *octogeſimum octavum* præfert hic nummus, nihil certi habemus, quod proferamus; conjecturas autem noſtras alibi (i) proponimus.

(a) Id. Lucian. p. 482. A.

(b) Strab. Lib. XIII. p. 417.

(c) Ptolem. Lib V. c. 2.

(d) Plin. Lib. V. c. 30.

(e) Act. Apoſt. Cap. XVII. v. 23.

(f) Sueton. in Aug c. 7.

(g) De Baccho vid Com. ad num. 1. & 4 Tab. LXVI.

(h) Vail. in num. Gr. p. 56.

(i) In Animadv. de Epocha Perperen.

Num.

Num. IV.

ΑΤΤΑΛΟΣ ΣΟΦΙΣ. ΤΑΙΣ ΠΑΤΡΙΣΙ ΣΜΥΡ. ΛΑΟ. *Attalus Sophista Patriis Smyrnæ* atq. *Laodiceæ*. Juppiter ſtans cum aquila in dextra, & Magna Mater turrita & innixa tympano, ſedens cum patera in dextra, & ad pedes leone.



EN Attalus, ni fallor, qui nummum primum Tabulæ tertiæ faciendum curavit, dedicavitque Sacro Romæ Senatui. *Sophiſta* porro heic inſcribitur, non quidem eo ſenſu, quo olim arte qualibet inſtructus (*a*) appellabatur Sophiſta; veteres enim πᾶσαν τέχνην σοφίαν ἔλεγον, (*b*) *omnem artem Sophiam dixerunt*; ſed eo ſenſu, qui poſtea invaluit, ſive cum Plutarcho (*c*) intelligantur eloquentiæ Doctores, ſive cum Græco Thucididis interprete, (*d*) Rhetoricarum quæſtionum Magiſtri. Quo ſenſu nomen Sophiſtæ (*e*) fuit cum primis honorificum & omnium ore celebratum: ὥσπερ δαίμονας πανταχοῦ θαυμαζομένους ἐπὶ τοῖς λόγοις, (*f*) *adeo ut eos ſpectarent ubique gentium veluti quoſdam Genios, ob mirabilem dicendi rationem*. Si tamen Ἄτταλος ὁ Πολέμωνος τοῦ Σοφιστοῦ παῖς, (*g*) *Attalus filius* fuit *Polemonis Sophiſtæ* illius celeberrimi, de quo ſupra (*h*), non eo jure, quo Pater, nomen hoc plenum dignitatis (*i*) & honoris conſecutus eſt; nam cum Polemone Polemonis quoque virtutem extinctam legimus (*k*). Poſteri enim ejus, genere quidem ei conjuncti fuiſſe dicuntur, non tamen ii extitiſſe, qui cum illius virtute comparari poſſint, uno excepto Hermocrate. Hinc etiam dubitandi locus remanet, utrum ipſe Attalus, qui patria Laodicenus erat, propriis an paternis meritis inter Smyrnæos adſcitus ſit. Quo genere honoris viros ſummos, præſertim Sophiſtas, Urbes certatim proſequi conſueverunt, ut & ipſorum dignitati, & utilitati propriæ conſulerent. Attalus itaque & Laodiceæ, e qua ducebat originem, & Smyrnæ, in quam adſcriptus fuerat, beneficii memor nummum hunc dedicavit, numinibuſque earum tutelaribus, Jove (*l*) ſcilicet Laodiceno, & Matre Magna (*m*) Smyrnæorum inſignivit. *Laodiceam Phrygiæ* adſcripſimus (*n*) cum Strabone (*o*) & aliis: *Cariæ* tamen eam adſignant Ptolemæus (*p*) & Philoſtratus (*q*); erat quippe in utriuſque provinciæ confinio.

(*a*) Suid. in Lex. verbo Σοφίαν.
(*b*) Heſych.
(*c*) Pag. 112. in Themiſt. de Soph.
(*d*) Lib. III.
(*e*) Lucian. in princ. Præcept. Rhet. p. 804.
(*f*) Liban. Declamat. XXIX.
(*g*) Philoſtr. de Vit. Sophiſt. Lib. II. num. XXV. §. 2.
(*h*) Tab. XI. n. 1.
(*i*) Themiſt. Orat. IV.
(*k*) Apud Philoſtr. ibid. §. 11.
(*l*) Num. ſequ. & Comment. ad num. 1. Tab. III.
(*m*) Strab. Lib. XIV. p. 646.
(*n*) In Com. ad num. I. Tab. III.
(*o*) Lib. XII. ſub fin.
(*p*) Lib. V. c. 2.
(*q*) Vid. Com. ad num. 1. Tab. XI.

Num. V.

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ. *Laodicenorum cum Pergamenis Concordia*. Juppiter & Æſculapius ſtantes.



Requens occurrit in Græcis nummis *Concordia*; quæ qualis fuerit, ex Dione præſertim Chryſoſtomo & Ariſtide intelligimus; eorumdem enim orationes, quas ad conciliandam inter diſſidentes Urbes concordiam magna eruditione habuere, ad nos uſque pervenerunt. Legi itaque poſſunt Ariſtidis ad Aſiaticas civitates, & Dionis ad Pruſenſes & Apamenſes, tum etiam ad Nicomedienſes atque Nicæenſes de hoc argumento orationes. Ad hos itaque loquens „ inter cetera, illud expendite, (*a*) „ *inquit Dio*, quod ex Concordia futurum eſt, nunc quidem „ utrique veſtros tantum viros habetis; facta autem recon„ ciliatione utrique utrorumque habebitis, & publicas eroga„ tiones, [oportet enim & haſce civitati duplicatas arbitra„ ri], atque miniſteria. Eſt aliquis apud vos orando elo„ quens, is & illis proderit; locuples aliquis apud eos eſt, „ ſuppeditabit ſumptus & apud vos. Καθόλȣ πάντα μιχθέντα καὶ καρποὶ, καὶ χρήματα, καὶ ἀνδρῶν ἀξίαι, καὶ δυνάμεις, διπλάσια τὰ παρ᾽ ἀμφοτέροις γίγνεται. (*b*) *Breviter omnia commixta, & fructus, & pecuniæ, & virorum dignitates, & potentiæ apud utroſque duplicabuntur*. Subdit concordiam fieri æquum eſſe & propter progenitores, qui communes erant civitatibus utriſque, & propter Deos, quorum apud utroſque ſimiles erant honores. Tangit præterea nuptiarum conjunctiones affinitateſque, & hoſpitia mutua, privataſque amicitias. Atque hæc fere erant, quorum ratione concordiam communionemque ſanciebant, & ſubinde ſolemniter renovabant, nummiſque inſcribebant vicinæ civitates. Remotiores vero, quæque multis terrarum ſpatiis disjunctæ erant, [nam & inter iſtas initam concordiam in nummis aliiſque veteribus monumentis legimus,] ſæpe ob eorumdem Deorum cultum, aut eamdem progenitorum coloniarumve originem, ſive ob commercii hoſpitiique jus, concordiam fovebant. Laodicenos atque Pergamenos, quorum eſt hic nummus, ob eamdem progenitorum originem ſervaſſe concordiam credimus; nam in Caria (*c*), ſive Lydia

(*a*) Orat. XXXVIII. pag. 480. B.

(*b*) Ead. Or. pag. 480.

(*c*) Ptolem. Lib. V. cap. 2.

dia [*a*] Laodiceni , in Myſia [*b*] Pergameni ; Myſi vero atque Lydi Caribus erant germani , [*c*] τὸν γὰρ Λυδὸν καὶ τὸν Μυσὸν λέγουσι εἶναι Καρὸς ἀδελφούς , *quippe Lydum ac Myſum Caris fratres fuiſſe dicebant* ; atque ob id eodem etiam utebantur fano . Quum autem interpoſito jurejurando fœdera icerentur , [*d*] Diiſque teſtibus pacta inirentur , heic & Juppiter Laodicenorum , & Æſculapius Pergamenorum , numina ipſorum præcipua , magnoque in honore habita , exhibentur .

[*a*] Steph. de Urb.
[*b*] Strab. Lib. XIII. p. *623*.
[*c*] Herodot. Lib. I. c. 171.
[*d*] Dionyſ. Hal. Lib. VI. Hiſt. p. 406.

T A B. XXI.

Num. I.

ΑΥ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡΗ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ . *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Antoninus* , capite laureato .

ΕΠΙ ΚΛΑΥΔΙΑ............ ΑΙΓΑΕΩΝ . *Sub Claudiano* .... *Ægeorum* . Rhea ſeu Mater Magna ſedens cum corona turrita in capite , ac patera in dextra & figura ſine brachiis in ſiniſtra .

INter diverſas , quæ Ægearum nomine olim cenſebantur , urbes , hanc , quæ nummum cudit , Æolicam fuiſſe inde opinamur , quod Rhea ſeu Magna Mater in eo conſpicua ſit ; vicinis enim in locis hæc Dea maxime colebatur , [*e*] eique orgia peragebantur . Accedit , quod, quemadmodum Temnus vicina Urbs , ita Ægæ ἵδρυνται δὲ πόλεις αὗται κατὰ τὴν ὀρεινήν [*f*] , *ſitæ erant ad montana* ; jacebant namque ſupra agrum Cumanum , Phocæum , & Smyrnæum , per quem Hermus fluebat . Rhea vero & montana appellabatur : πυργωτὸν δὲ περίκειται στέφανον , ἤτοι διὰ τὸ κατ' ἀρχὰς ἐπὶ τῶν ὀρῶν τίθεσθαι τὰς πόλεις ὀχυρωτάτου ἕνεκεν [*g*] *& corona turrita ornabatur , quod ab initio in montibus conderentur civitates munitionis gratia* . Ipſa [*h*] tenet dextra pateram ; ſolebant enim Deorum Dearumve ſimulacra ita effingi , ut victoriolæ aureæ , & *pateræ* , [*i*] coronæque eorum *porrectis manibus* ſuſtinerentur . Præterea Ἑρμᾶν ἀπὸ τῶν ὤμων ἀφῃρημένον τοὺς βραχίονας [*k*] , *Herman brachia ab humeris truncatum* habet in ſiniſtra ; qua figura forte ipſe *Hermus* fluvius deſignatur , ἐξ ὄρους ἱεροῦ τῆς Δινδυμήνης [*l*] , *e monte Dindymenæ* , Rheæ ſc. , ſeu Matri Magnæ , *ſacro prolabens* .

[*e*] Strab. Lib. X. p. *469*.
[*f*] Id. Lib. XIII. p. *621*.
[*g*] Phurnut. de Rhea .
[*h*] Virgil. de Didone Lib. IV. Æneid. v. *60*.
[*i*] Cicer. Lib. III. de Nat. Deor. c. *34*.
[*k*] Strabo Lib. XV. in fine Indiæ.
[*l*] Id. Lib. XIII. in Sard.

Num. II.

ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΑΥΡΗΛΙ. ΑΝΤΩΝ. ΑΡΜ. *Imperator Cæsar Aurelius Antoninus Armeniacus*, capite nudo.

ΝΟΥΚΗΡΗΝΩΝ. *Nucerinorum*. Minerva & Mercurius ſtantes.



Ummum hunc græca inſcriptio Nuceriæ non illi in Umbria, ſed ei magnæ Græciæ, quam Νȣκερίαν τἰὼ Ἀλφατέρναν καλȣμένην, (*a*) *Nuceriam Alphaternam appellabant*, procul dubio addicit. Oram itaque Campanorum maritimam Sinveſſani, & Cumani, & Dicæarchitæ incolebant, ac præterea Neapolitani; (*b*) τελευταῖον δὲ τὸ τῶν Νȣκερινῶν ἔθνος: *ultima vero Nucerinorum gens*. In eadem autem Campaniæ ora prope Surrentum prominebat Athenæum, quod alii Prenuſum vocabant. ἔςι δὲ ἐπ' ἄκρω μεὺ Ἀθlωᾶς ἱερὸν ἵδρυμα Ὀδυσσέως: (*c*) *eoque in promontorio fanum erat Minervæ ab Ulyſſe conditum*. Hinc in nummo Minerva. Mercurius quoque Nucerinorum erga ſe cultum indicat; ambo autem Marci providentiam atque Religionem denotare poſſunt, nam Minerva dicta eſt Jovis intellectus, ἡ αὐτὴ ȣ̂σα τῇ ἐν αὐτῷ προνοίᾳ, (*d*) *qui idem eſſe fertur cum ejuſdem providentia*: & in nummis (*e*) Marci legitur PROVIDENT*ia* AVG*uſti*. Mercurius vero, πρῶτον τὰ περὶ τὰς τῶν Θεῶν τιμὰς ϗ θυσίας διαταχθῆναι, (*f*) *primus Deorum cultum & ſacrificia ordinaſſe* ferebatur; & in aliis Marci nummis (*g*) RELIG*io* AVG*uſti* cum ipſo Mercurio habetur. Νȣκερία paſſim apud Geographos, & ΝΟΥΚΕΡΙΝΩΝ in nummo apud Goltzium (*h*) cum Ε & Ι leguntur: in typo autem nummi, quem inluſtramus, eſt nomen ΝΟΥΚΗΡΗΝΩΝ cum duplici Η: nec bene interpoſitum eſt punctum hoc modo ΝΟΥΚΗ. ΡΗΝΩΝ

(*a*) Diod. Sic. Lib. XXIX. cap. 65. p. 707. A.
(*b*) Polyb. Lib. III. c. 91.
(*c*) Strab. Lib. V. p. 170.
(*d*) Phornut. de Miner.
(*e*) Apud Mediob. p. 217. 223. & 224.
(*f*) Diod. Sic. Lib. I. p. 10. A.
(*g*) Apud Mediob. p. 218. & 223.
(*h*) Pag. 223. Magnæ Græciæ.

Num.

Num. III.

ΑΤΤΑΛΟΣ ΣΟΦΙΣΤΗΣ ΤΑΙΣ ΠΑΤΡΙΣΙ ΣΜΥΡ. ΛΑΟΔ. *Attalus Sophiſta Patriis Smyrnæ* atque *Laodiceæ*. Juppiter cum aquila & ſceptro, ac duæ Nemeſes dextram ad os apponentes, & earum altera frenum, altera menſuram ſiniſtra tenens.



PAullo ante (*a*) nummum vidimus, in quo cum Jove Laodiceno Matrem Magnam Smyrnæorum exhibuit Attalus; nunc alium præ oculis habemus, eumque Smyrnæ ac Laodiceæ Attali patriis pariter dedicatum, in quo cum ipſo Laodicenorum Jove Nemeſes repræſentantur; quarum ſimulacra, (*b*) magna a Smyrnæis religione colebantur. Cultus origo auctore Pauſania (*c*) ita habet. Smyrnæ conditor exſtitit Alexander, Philippi filius, per viſum in quiete, ut id faceret, monitus. Venationibus enim intentum Alexandrum in Pago monte, eo ipſo, quo erat ornatu, ad Nemeſium fanum acceſſiſſe tradunt. Quum autem ad fontem ſub platano proximis aquis irrigua ſomnum caperet, obverſatas ajunt in ſomniis Nemeſes, atque mandaſſe, ut eo in loco urbem conderet, atque ut eo Smyrnæos deduceret: miſſos igitur Claron conſultores a Smyrnæis de ſumma rerum; quibus tale fuerit redditum Oraculum:

(*a*) Num. 4. Tab. XX.

(*b*) Pauſan. in Attic. c. 33. p. 82.

(*c*) Lib. VII. c. 5. p. 533.

Τρισμάκαρες κεῖνοι ϗ τετράκις ἄνδρες ἔσονται
Οἳ Πάγον οἰκήσουσι πέρην ἱεροῖο Μέλητος.

Terque quaterque viris aderit ſors læta beatis,
Ulteriora colent ſacri qui rura Meletis.

Facile itaque deduci ſe Smyrnæi paſſi ſunt; ϗ Θεῶν Νεμέσεις πλείους νομίζουσιν ἀντὶ μιᾶς, *ac Nemeſes quidem plures, non unam venerantur*; & earum matrem Noctem perhibent. Hæc Pauſanias. Altera porro Nemeſum in hoc nummo frenum, altera menſuram gerit, dextramque ad os utraque apponit, quo homines ab effrenis coerceant ſermonibus, intraque menſuram contineant, juxta illud: (*d*)

(*d*) Anthol. Lib. IV. c. 4. Epigr. 72.

Ἡ Νέμεσις προλέγω τῷ πήχει, τῷ τε χαλίνῳ
Μήτ' ἄμετρον τι ποιεῖν, μήτ' ἀχάλινα λέγειν.

Prædico hac Nemeſis norma ſimul hiſque lupatis,
Non effrena loqui, & nil fieri abſque modo.

TAB.

T A B. XXII.

Num. I.

AVRELIVS CAES. ANTON. AVG. PII F. *Aurelius Cæſar, Antonini Auguſti Pii Filius*, capite nudo.

TR. POT. XIII. COS. II. *Tribunicia Poteſtate* XIII., *Conſul iterum*. Neptunus ante porticum ſtans tridenti innixus impoſitoque proræ navis pede, pone Delphinus.



TRibuniciam Poteſtatem XIII. auſpicatus eſt Aurelius quarto Idus Decembris anno U. C. DCCCCXI. (*a*); quum Kalendis Januariis anni U. C. DCCCXCVIII. (*b*) *Conſul iterum* jam proceſſiſſet; illum enim Antoninus Pius, cujus heic Filius, adoptione ſcilicet dicitur, *ſecundum Conſulem deſignavit*, (*c*) *quum ipſe quartum pariter iniret*. In parte vero numiſmatis averſa exhibetur Neptunus ante porticum, Α'γρίππας δὲ τὴν ςόαν τȢ Ποσειδῶνος ὠνομασμένην καὶ ἐξῳκοδόμησεν ἐπὶ ταῖς ναυκρατίαις: (*d*) *quam ipſi Agrippa propter victorias navales exſtruxit* Romæ, & Argonautarum pictura decoravit. Navis autem proram premit, utpote qui mari præeſſe credebatur: *tridentem vero* (*e*) *ob hanc rem ferre fingitur*, quod aquarum natura triplici natura fungatur, i. e. liquida, fecunda, potabili. Adeſt quoque Delphinus, quem, qui Neptuno ſimulacrum faciebant, addiderunt (*f*) *quod ei gratiſſimum eſſe arbitrabantur*.

(*a*) Chr. 158.
(*b*) Chr. 145.
(*c*) Capitol. in M. c. 6.
(*d*) Dio Caſſ. Lib. LIII. p. 515. A.
(*e*) Fulgent. Lib. I. Mythol. in Nept.
(*f*) Hygin. Lib. II. Aſtron. in Delph.

Num.

Num. II.

M. AVREL. ANTONINVS AVG. P. M. IMP. II. TR. P. XVIII. COS. III. *Marcus Aurelius Antoninus Auguſtus*, *Pontifex Maximus*, *Imperator iterum*, *Tribunicia Poteſtate* XVIII. *Conſul tertium*, capite laureato. Verus Imperator paludatus victoriolam porrigit Marco togato, adſtantibus hinc inde militibus.



Onſul *tertium* proceſſit Marcus cum L. Vero *ſecundum* Kalendis Januariis anni U. C. DCCCCXIV. (*a*); (a) Chr. 161.
die vero ſeptima Martii ejuſdem anni mortuo Antonino Pio, Μάρκος Αὐρήλιος Οὐῆρος, ὁ καὶ Ἀντωνῖνος, υἱὸς αὐτοῦ σὺν καὶ Λουκίῳ ἀδελφῷ διαδέχεται, (*b*) idem *Marcus Aurelius Verus*, *qui & Antoninus*, *Antonini Filius*, *cum Lucio Fratre ſucceſſit*, (b) Euſeb. Lib. IV. Hiſt. Eccl. cap. 14.
& Auguſtus ac Pontifex Maximus dici inſcribique cœpit. Pontificatus enim Maximus, ſaltem præcipuum ejuſdem officium & honor Marco contigit, utpote qui ætate & imperio Lucium præcedebat (*c*): (c) Vid. Anim. de Pont. Max.
nam Marcus in Lucium omnia quidem contulit, fecitque imperii conſortem, (*d*) (d) Capitol. in Vero c. 3.
at Marco ſoli Senatus detulerat imperium. Habuit (*e*) vero hanc reverentiam Marci Verus, (e) Id. c. 8.
ut nomina, quæ ſibi in bello contra Armenos & Parthos delata fuerant, cum Fratre communicaret. Hinc *Imperator iterum* ob geſtas res in Armenia proſpere, Marcus hoc in nummo dicitur, & victoriam ſibi a Lucio communicatam recipit; merito quidem, nam omnia, (*f*) quæ ad bellum erant neceſſaria, Romæ poſitus & diſpoſuit Marcus & ordinavit. (f) Capitol. in Merc. c. 8.
Percuſſus autem eſt nummus poſt diem decimam Decembris anni U. C. DCCCCXVI., (*g*) qua Tribuniciam Poteſtatem XVIII. idem Marcus iniit. (g) Chr. 163.

Num. III.

M. AVREL. ANTONINVS AVG. IMP. . . . . *Marcus Aurelius Antoninus Augustus Imperator* ......, capite laureato.

Marcus togatus sacra facit, & a Victoria coronatur, adstante milite ad lapidem.

(a) Capitol. in M. c. 13.



DUm Parthicum bellum geritur, (*a*) natum est Marcomannicum, quod diu eorum, qui aderant, arte suspensum est, ut finito jam orientali bello Marcomannicum agi posset. Et, quum famis tempore populo insinuasset M. Antoninus de bello, Fratre L. Vero reverso, in Senatu egit, ambos necessarios dicens bello Germanico Imperatores. Tantus autem timor belli Marcomannici fuit, ut undique Sacerdotes Antoninus acciverit, peregrinos ritus impleverit, Romam omni genere lustraverit, retardatusque a bellica profectione sit; celebravit & Romano ritu lectisternia per septem dies. Ac tum bellicæ hujus profectionis occasione cusus esse potest hic nummus; atque in eo sacrificans Marcus expressus est. Nam *propter viam* (*b*) *fiebat sacrificium, quod erat proficiscendi gratia, Herculi aut Sanco, qui idem est Deus*. Coronatur autem quasi jam de victoria securus. Nisi credere potius velimus, vota, quæ ad bellum profecturus, Marcus susceperat, quum victor rediisset, heic illum solvere. Quo minus vero, ad vota, quibus proficiscentem ad bellum Parthicum, Lucium Marcus prosecutus est, typum hunc referamus, titulus IMP*eratoris* ob victorias, qui ibidem legitur, obstat; tum enim conlatus ei hujusmodi titulus nondum fuerat. Lapis porro, sive cippus, aut columna pone militem in nummo index viæ, seu profectionis videtur: hujusmodi enim lapides ad singulos mille passus præcipuarum viarum erecti erant: cujus rei auctor dicitur a Plutarcho (*c*) C. Gracchus. Διαμετρήσας κατὰ μίλιον ὁδὸν πᾶσαν — — κίονας λιθίνους, σημεῖα τοῦ μέτρου, κατέστησεν. *Viam omnem per milliaria dimensus* ---- ---, *columnas lapideas spatii signandi gratia locavit*. Romæ autem in foro ὁ χρυσοῦς εἱστήκει κίων, εἰς ὃν αἱ τετμημέναι τῆς Ἰταλίας ὁδοὶ πᾶσαι τελευτῶσιν, *erat* (*d*) *aurea columella, ad quam omnes Italiæ viæ terminabantur*.

(b) Fest. Lib. XIV.

(c) In Gracchis p. 838.

(d) Id. in Galba.

TAB.

T A B. XXIII.

Num. I.

ΑΥΤ. ΚΑΙΣ. Μ. ΑΥΡΗΛΙΟΣ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ ΣΕΒ. *Imperator Cæ-ſar Marcus Aurelius Antoninus Auguſtus*, capite laureato. ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ ΛΑΟΔΙΚΑΙΩΝ. *Perinthiorum Concordia cum Laodicæis*. Marcus & Lucius togati ſtantes, dexteras jungunt, ſiniſtra codicillos ſeu mappam tenent; in area quid crumenæ ſimile.



EXemplo Marci ac Lucii Imperatorum concordiam inter ſe firmaſſe Perinthios atque Laodicæos, teſtis eſt hic nummus. Idem exemplum Epheſiis, Pergamenis, atque Smyrnæis proponens Ariſtides, humanum, inquit, (*a*) vobis præſto eſt ante oculos exemplum maximum, Reges maximi: οἷς πολλῶν ϗ μεγάλων ὑπαρχόντων, κάλλιςον εἶναι δοκεῖ ἡ πρὸς ἀλλήλȣς ὁμόνοια ϗ σπȣδή: *in quibus præter alia multa magnaque, mutua Concordia & ſtudium res pulcherrimæ videntur*. Et Cyzicenis loquens (*b*) ait, mirabilem quamdam principatus exſtitiſſe in duobus corporibus & animis ſententiam, inſtar harmoniæ cujuſdam per omnes fides diſcurrentis. Geſtat autem uterque Imperator codicillos Conſulares, ſeu mappam ludorum editionis ſymbolum, quam nempe projectam ab Imperatore, aut Conſule, aut alio is excipiebat, qui ſignum inchoandis ludis dabat; quique *Mapparius* (*c*) inde dicebatur. Seu potius pannum illud ſericum eſt terra plenum, quod Imperatores gerebant, & de quo ita Codinus: (*d*) Ἐν τῇ ἀριςερᾷ (φέρει) Βλάτιον κώδικι ἐοικὸς δεδεμένον μετὰ μανδυλίȣ· ὃ βλάτιον ἔχει χῶμα ἐντὸς, ϗ καλεῖται Ἀκακία, ὡς εἴπῃ μὲν τὸ τὸν βασιλέα ταπεινὸν εἶναι ὡς θνητὸν, ϗ μὴ διὰ τὸ τῆς βασιλείας ὕψος ἐπαίρεσθαι ϗ μεγαλαυχεῖν. i. e. *Portat* Imperator *in ſiniſtra pannum ſericum codici ſimile, ligatum mantili; habetque intus terram vel arenam, & vocatur Acacia, quaſi dicat illud, Imperatorem humilem eſſe ut mortalem, neque propter imperii faſtigium efferri, neque ſe tumidum jactare debere*. Quod ſi crumena eſt, quæ in area partis averſæ nummi conſpicitur, divitias ac cetera bona, quæ Concordia adfert, & de quibus ſupra, (*e*) ſignificare poteſt.

(*a*) Orat. de Concord. ad Aſiat. Civit. pag. 537. olim 337.

(*b*) Orat. Cyzic. p. 239. olim 418.

(*c*) Vid. S. Jo. Chryſ. Orat. de Circo, Chron. Alex. ad an. 8. Focæ, & Nicet. in Alex. Lib. III. n. 2.

(*d*) De Offic. c. 6. n. 27.

(*e*) Ad num. V. Tab. XX.

Num. II.

M. AT. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ ΚΑΙ..... *Marcus Aurelius Antoninus Cæsar* .... capite laureato.

ΟΜΟΝΟΙΑ ΕΦΕΣΙΩΝ Β ΝΕΩΚ. ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. *Concordia Ephesiorum bis Neocororum cum Sardianis*. Diana Ephesia cum veribus & cervis, Sardiana vero tutulata atq. velata.



Religione & amicitia conjunctos se heic monstrant Ephesii atque Sardiani. similes namque apud utrosque Dianæ erant honores, quum & Ephesi summa religione, ut notum est, coleretur; & intra XL. a Sardibus stadia lacus esset, Gygæus ab Homero, a recentioribus Coloë dictus: (*a*) ὅπȣ τὸ ἱερὸν τῆς Κολοήνης Ἀρτέμιδος μεγάλω ἁγισεἰαν ἔχον: *ubi Coloënes Dianæ templum erat magna cum sanctimonia cultum*. Credimus porro eamdem Dianam Coloënem heic repræsentari sub figura illa tutulata atque velata; altera autem *Ephesia* (*b*) *est mammis multis & veribus instructa*, cervisque eidem sacris stipata; unde & nummus apud Ephesios erat, (*c*) qui cervam expressam ferebat pro remuneratione magnorum Deæ beneficiorum. Quum vero majorem apud gentes cultum Diana Ephesia quam Sardiana obtineret, sacris etiam privilegiis supereminebat; unde heic Ephesii se *bis Neocoros* appellant: quo titulo nondum decorati per id tempus, quod ego sciam, Sardiani. Paullo tamen post eumdem honorem ac privilegia, ut nummi produnt, etiam hi sunt consecuti. De Urbibus Populisque *Neocoris* fuse, instituta in hanc rem quæstione, suo loco (*d*) agimus.

(*a*) Strb. Lib. XIII. p. 626.

(*b*) Minuc. Fel. in Octav.

(*c*) Liban. in Dianæ Encomio.

(*d*) Animadv. de Neoc.



Num.

Num. III.

FAUSTINA MARCI UXOR.

ΚΟΡΗ ΣΩΤΕΙΡΑ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ . *Puella* i. e. Proſerpina *Soſpita Cyzicenorum*. Caput Fauſtinæ.

ΕΠ. ΑΤΤΙΛ. ΚΡΑΤΙΠΠΟΥ ... ΟΜΟΝΟΙΑ ΚΥΖΙΚ. Κ. ΣΜΥΡΝΑ : *Sub Attilio Cratippo ... Concordia Cyzicenorum atque Smyrnæorum*. Fauſtina ſtans in curru, turrita & a victoria coronata, præeunte tibicine ac ſubſequente milite, trahitur a duobus Centauris, quorum alter clavam, alter tropæum gerit.



QUum dotis nomine Marcus, quo tempore Fauſtinam duxit uxorem, *imperium* (*a*) *accepiſſet*, adludens adulanſque Cyzicus, ſub Proſerpinæ nomine Fauſtinam heic exhibuit. λέγεται δ' ἡ πόλις ἐμποροίκιον ὑπὸ Διὸς τῇ Κόρῃ δοθῆναι· καὶ σέβουσιν αὐτὴν οἱ Κυζικηνοὶ μάλιστα Θεῶν. (*b*) *nam & ipſa Cyzicus in dotem a Jove data ferebatur Proſerpinæ; quam Cyziceni venerabantur præ omnibus numinibus*. Cererem itaque Proſerpinæ matrem, Δέσποιναν, (*c*) *Dominam appellabant*, Proſerpinam vero Κόρην ἐπονομάζουσι *Puellam*; eique feſta, quæ Proſerpinalia (*d*) dicebantur, Cyziceni peragebant. Atque hæc feſta pars nummi poſterior forte reſpicit: ſeu potius ad relatas a Marco de barbaris, quos heic ſub centaurorum figura cernere eſt, victorias pertinet. nam & milites adſunt, & tropæum alter Centaurorum geſtat; Fauſtina vero coronatur a Victoria, ac triumphum agit. Ut ut ſit, certos nos reddit nummus de Cyzicenorum concordia cum Smyrnæis, quum tamen certare de magnitudinis pulchritudiniſque primatu cum iis, & de potentia cum Epheſiis Cyziceni potuiſſent. Ἔστι δ' ἀνάμιλλος ταῖς πρώταις τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν ἡ πόλις μεγέθει τε καὶ κάλλει καὶ εὐνομίᾳ πρός τε εἰρήνην καὶ πόλεμον. (*e*) *Æquabat enim Cyzicus primas in Aſia urbes magnitudine ac pulchritudine & legum bonitate, bello pacique juxta accomodata*. Declinaſſe tamen ab hac, quam tum Smyrnæi cum Epheſiis atque Pergamenis exercebant, contentione, hortante præſertim (*f*) Ariſtide, Cyziceni ipſi videntur.

(*a*) Capitol. in Marco c. 19.

(*b*) Appian. de Bell. Mithrid. p. 221. nunc p. 371.

(*c*) Pauſan. in Archad. cap. 37. p. 677.

(*d*) Plutarch. in Dione verſ. fin. p. 982. E.

(*e*) Strab. Lib. XII. p. 575.

(*f*) Vid. Orat. Cyzic.

TAB. XXIV.

Num. I.

ΚΟΡΗ ΣΩΤΕΙΡΑ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. *Proſerpina Soſpita Cyzicenorum*. Caput Fauſtinæ corona ſpicea ornatum.

ΕΠΙ ΑΥΡΗ. ΑΣΙΑΡ. ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Sub Aurelio Aſiarcha Cyzicenorum Neocororum*. Dioſcuri cum haſtis & equis, ara intermedia.


Xhibetur heic Fauſtina Proſerpinæ titulo habituque inſignis, corona nempe e ſpicis redimita, ad inſtar Matris Cereris; quæ, quum ſegetem proferre crederetur, πάνυ οἰκείως εἰσάγεται στάχυσιν ἐστεφανομένη, (*a*) *admodum proprie coronam ariſtis gravem gerere* fingebatur. In parte vero nummi averſa Dioſcuri conſpiciuntur, quos una cum aliis Diis Cyziceni colebant. Diis namque omnibus videbatur eſſe conſecrata Cyzicus: (*b*) ac veluti per ſortes Diis eſſet adtributa, ita tota diviſa conſpiciebatur, diſtinguentibus eam Templis, quaſi pro ejus ſalute Dii inter ſe contenderent. Sacrificia vero, pompæ, ſupplicationes, & cultus Deorum cum ſuis ritibus non longius, quam Athenarum Urbs, ab optima, ut quidem ipſis videbatur, conſtitutione differebant. Sacri itaque ſeu Neocori Cyziceni ſunt habiti, ſacriſque privilegiis decorati; quin & *Aſiarcham* habuerunt Aurelium, cujus officium erat Sacerdotem Provinciæ agere (*c*), ludiſque Aſiæ Proconſularis communibus præeſſe. Ipſis Dioſcuris

——— ——— — chlamys huic, (d) chlamys ardet & illi:
Ambo haſtile gerunt, humeros exertus uterque,
Nudus uterque genas.

(*a*) Phurnut. de Cerere.

(*b*) Ariſtid. in Orat. Cyzic.

(*c*) Vid. Animadv. de Aſiarchis.

(*d*) Stat. Lib. V. Theb. v. 438.



Num.

Num. II.

L. VERUS.

L. VERVS AVG. ARM. PARTH. MAX. *Lucius Verus Augustus, Armeniacus, Parthicus Maximus*, capite laureato.

TR. P. VII. IMP. IIII. COS. III. *Tribunicia Potestate septimum, Imperator quartum, Consul tertium*. Lucius paludatus stans, Jovi in monte sedenti victoriam offert; ipse vero a milite coronatur.



Omæ natus est (*a*) Lucius in Prætura Patris sui [Ælii Veri], XVIII. Kal. Januarias die, quo & Nero, qui rerum potitus est. Patre (*b*) ab Hadriano adoptato, in familiam Æliam devenit, mortuoque Patre Cæsare, in Hadriani familia remansit. a quo Aurelio datus est adoptandus, quum sibi ille Pium filium, Marcum Nepotem esse voluisset. Post septimum annum in familiam Aureliam traductus, Marci moribus & auctoritate formatus est. fuitque privatus in domo imperatoria viginti & tribus annis. *Consul* (*c*) *est factus* (*d*) *cum Sextilio Laterano; interjectis annis cum Marco Fratre iterum factus est* (*e*) *Consul*. Tum vero defuncto die septima Martii Pio, Marcus, cui soli Senatus imperium detulerat, in eum omnia contulit, participatu etiam imperatoriæ dignitatis indulto. *Dato* (*f*) *igitur imperio, & indulta Tribunicia Potestate, Proconsulatus etiam honore delato, Verum vocari præcepit*, suum in eum transferens nomen, quum ante Commodus vocaretur. *Cæsarem* quoque (*g*) *& Augustum dixit*, & ex eo pariter cœperunt Remp. regere; tuncque primum Romanum imperium duos *Augustos* habere cœpit. Paullo post fuit Parthicum bellum, (*h*) ad quod profectus est Verus. Duces autem confecerunt illud Statius Priscus (*i*) & Avidius Cassius & Martius Verus per quadriennium, ita ut Babylonem & Mediam pervenirent, & Armeniam vindicarent. *partumque est Lucio nomen Armeniaci, Parthici, Medici*, quod etiam Marco Romæ agenti delatum est. Hinc uterque quartum *Imperator* (*k*) appel-

(*a*) Capitol. in princ. Vit.
(*b*) Id. c. 2.
(*c*) Id. c. 3.
(*d*) An. U.C. 907. Chr. 154.
(*e*) An. U.C. 914. Chr. 161.
(*f*) Capitol. c. 4.
(*g*) Id. in Marco c. 7. Vict. & Eutrop.
(*h*) Capit. in M. c. 8.
(*i*) Capit. in Vero c. 7.
(*k*) De Vero Capit. in M. c. 8.

appellatus est: quum enim primum Imperatores, quo tempore imperium sumpserunt, renuntiati fuissent, iterum, tertium ac quartum Imperatores (*a*) ob partas de Armenis, Parthis, Medisque victorias nuncupati sunt. Quum autem e bello Romam reversus esset, ac triumphasset Lucius, anno (*b*) U. C. DCCCCXIX. quarto Idus Decembris Tribuniciam Potestatem VII. iniit, proximisque Kalendis Januariis *Consul tertium* ingressus est. Tunc ei cusus est hic nummus, ubi Lucius, dum ipse a milite ob res prospere gestas coronatur, victoriam Jovi, uti a Romulo fieri cœptum (*c*) & institutum erat, acceptam refert.

(*a*) Vid. Com. in num. 3. Tab. XIX.

(*b*) Chr. 166.

(*c*) Vid. Dionys. Halic. Lib. II. Antiq. p. 102. al. 76.

Num. III.

ΑΥΤ. ΚΑΙ. Λ. ΑΥΡ. ΟΥΗΡΟΣ. *Imperator Cæsar Lucius Aurelius Verus*, capite laureato.

ΕΠΙ ΣΤΡ. ΑΤΤΑ. ΚΡΑΤΙΠΠΟΥ ΠΕΡΓΑΜΗ. ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Sub Prætore Atyl. Cratippo Pergamenorum bis Neocororum*. Venus cum Cupidine, Herculem sedentem secum trahere conatur.



Urelii nomen heic habet Lucius, quod *Aurelio* datus fuerat adoptandus, & *in familiam* (*d*) *Aureliam traductus* fuerat. In parte vero nummi postica sub figura Herculis sedentis Verus ipse exhibetur, Veneri trahenti obsistens; quasi scilicet, quo Reip. bellisque navaret operam, voluptates aversaretur, ac procul amandaret. At nihil minus; nam ad bellum Parthicum Senatu consentiente missus, quum Oriens vastaretur, (*e*) ille in Apulia venabatur, & apud Corinthum & Athenas inter symphonias & cantica navigabat, & per singulas maritimas civitates Asiæ, Pamphyliæ, Ciliciæque clariores, *voluptatibus immorabatur*. Demum in Syriam profectus, *non solum licentia vitæ liberioris, sed etiam adulteriis & juventutis amoribus infamatus est*. Veneri comes additus est *puer*, (*f*) *pinnatus ille & satis temerarius*, qui malis suis moribus contempta disciplina publica, flammis & sagittis armatus, per alienas domos nocte discurrens, & omnium matrimonia corrumpens, impune committit tanta flagitia, & nihil prorsus boni facit.

(*d*) Capitol. in Vero c. 2.

(*e*) Id. c. 6.

(*f*) Apulej. Lib. IV. Metamorph.

TAB.

T A B. XXV.

Num. I.

L. VERVS AVG. ARM. PARTH. MAX. *Lucius Verus Augustus, Armeniacus, Parthicus Maximus*, capite laureato.

TR. P. VI. IMP. VIII. COS. II. *Tribunicia Potestate sextum, Imperator octavum, Consul secundum*. Lucius paludatus atque laureatus milites e suggestu adloquitur.

QUum in aliis iisque frequentibus Veri nummis TR*ibunicia* P*otestate* VI. insignitis, nonnisi titulus IMP*eratoris* IV. observetur, constat in hoc ipso nummo titulum *Imperatoris* IIII. non vero VIII. esse debere, eumque e bello orientali Lucium reportasse. Mense etenim Martio U. C. DCCCCXIV. (*a*) imperium a Marco accepit Lucius. hinc civiliter se ambo egerunt, (*b*) dabatque se Marcus totum philosophiæ, & amorem civium adfectabat. Sed interpellavit istam felicitatem securitatemque Imperatorum Tiberis inundatio, quæ sub illis gravissima fuit: quæ res & multa urbis ædificia vexavit, & plurimum animalium interemit & famem gravissimam peperit. Quæ omnia mala Marcus & Verus sua cura & præsentia temperarunt. Fuit eo tempore etiam Parthicum bellum, ad quod Verus missus est: eumque Marcus Capuam usque prosecutus est; Verus autem apud Canusium ægrotavit (*c*). Hinc in Apulia (*d*) venabatur, & inde per singulas maritimas civitates Asiæ, Pamphyliæ, Ciliciæque clariores voluptatibus immorabatur. Citius itaque inito jam anno U. C. DCCCCXV. (*e*) Syriam adtigisse Verus non videtur. *Egit* (*f*) *autem per quadriennium hiemem Laodiceæ, æstatem apud Daphnen, reliquam partem Antiochiæ*. Romam vero *post quinquennium* (*g*) reversus est, ac *quarto* (*h*) *Iduum Octobrium* petiit, atque etiam impetravit, ut filii Marci Cæsares appellarentur, *Pudente & Pollione* anni U. C. DCCCCXIX. (*i*) *Consulibus*, & cum Marco triumphavit. Agebat tum Lucius Verus, ac pæne peregerat T*ribuniciam* P*otestatem sextam*; adeoque titulus *Imperatoris quartum*, qui cum ea conjungitur, ad

(*a*) Chr. 161.
(*b*) Capitol. in Marco c. 8.
(*c*) Hucusque Capitol. ibid.
(*d*) Id. in Vero c. 6.
(*e*) Chr. 162.
(*f*) Id. in Vero c. 7.
(*g*) Id. in Marco c. 13.
(*h*) Vid. Capitol. in Marc. c. 12. & Lamprid. in Commodo c. 11.
(*i*) Chr. 166.

(a) Vid. Com. in num. 3. Tab. XIX. & in num. 1. Tab. XX.

ad bellum orientale, pro ut (a) exposuimus, pertinet. Hinc & milites commendans Lucius exhibetur. Ad hæc superior Veri nummus TR. P. VII. cum titulo IMP. IIII. adhuc habet.

Num. II.

LUCILLA VERI UXOR.

LVCILLAE AVG. ANTONINI AVG. F. *Lucillæ Augustæ, Antonini Augusti Filiæ*. Caput Lucillæ.

Duæ mulieres, quarum altera manu tenet, seu excutit arborem, quæ in cippo est, decidente inde infanti, alioque supra cippum manente; altera vero inclinata vas aqua replet, duobus puerulis vicinam domum adscendentibus, intraque vineam altero manente.

(b) Capitol. in Marco c. 7.
(c) Id. c. 9.



Arcus, ubi Verum sibi participem in imperio designavit, (b) *filiam suam Lucillam ei despondit*. Medio autem belli Parthici tempore (c) & Civicam patruum Veri & filiam suam nupturam, commissam sororis suæ curæ, eamdemque locupletatam Brundusium usque deduxit, & ad eum misit. Ad Proconsules vero scripsit, nequis filiæ suæ iter facienti occurreret. Verus itaque Ephesum venit, (d) *ut Lucillam uxorem missam a Patre Marco susciperet*, & idcirco maxime, ne Marcus cum ea in Syriam veniret, & flagitia ejus agnosceret; nam Senatui Marcus dixerat, se filiam in Syriam deducturum. Post mortem Veri Lucilla Pompejano tradita est in matrimonium; cui quum infensa esset, suasit, ut Commodo tum imperanti insidias faceret, (e) eumque ita perdidit: mox tamen & ipsa, patefacto scelere, interfecta est. Et hæc quoad anticam hujus nummi partem; postica vero difficilior est: non longe tamen a vero abituros nos credimus, si eam de infantium nativitate explicemus. Infantes itaque recens natos in terram abjiciebant veteres: quo respiciens Plinius, *hominem*, inquit, (f) *tantum nudum, & in nuda humo, natali die abjicit* natura *ad vagitus statim & ploratum*. Excussum igitur ex arbore, quæ uteri materni locum habere potest, decidentemque in terram puerulum videre est, juxta illud, (g)

(d) Capitol. in Vero c. 7.

(e) Ex Dio. Xiphil. Lib. LXXII. p. 818. E.

(f) Præfat. ad Lib. VII. Nat. Hist.

(g) Ovid. in Ibim v. 223.

Qui

Qui simul impuræ matris prolapsus ab alvo
Cyniphiam fœdo corpore pressit humum.

Quia tamen natus solum, si vitalis erat, (*a*) sublatus ab obstetrice, statuebatur in terra, pluresque antequam nascerentur, aut vix dum nati moriebantur, hinc alter puer in terram minime projectus est, sed in supposito plantæ cippo manet. Qui autem in terram projectus est, inde abluitur: qua de re Sidonius, (*b*)

(*a*) Varr. Lib. II. de Vit. Pop. Rom. apud Marcell. cap. 12.

(*b*) Carmine XXIII. v. 204. & seqq.

Jam primo tenero calentem ab ortu
Excepere sinu novem Sorores,
Et te de genitrice vagientem
Texere vitrei vado Hippocrenis.

Ablutus autem puer adscendere conspicitur, intraque domum & vineam recipitur, h. e. in familiam & ad hereditatem admittitur; nomine enim familiæ imposito, quod die lustrico fiebat, eoque ad Præfectum ærarii delato, jus ad hereditatem conferebatur. Marcus autem Lucillæ pater, morem antiquum restituens, *jussit* (*c*) *apud Præfectos ærarii Saturni unumquemque civium natos liberos profiteri intra tricesimum diem, nomine imposito.*

(*c*) Capitol. in Vita c. 9.



TAB. XXVI.

Num. I.

COMMODUS.

L. AVREL. COMMODO CAES. AVG. FIL. GERM. SARM. *Lucio Aurelio Commodo Cæſari, Auguſti Filio, Germanico, Sarmatico*, capite nudo.



Ommodus Marci filius natus eſt (*a*) apud Lanuvium cum Fratre Antonino gemino, pridie Kal. Septembris, Patre Patruoque (*b*) Coſſ. Fauſtina, quum eſſet Commodo cum fratre prægnans, viſa eſt in ſomnis ſerpentes parere, ſed ex his unum ferociorem. Multi autem ferunt, (*c*) Commodum omnino ex adulterio natum: ſiquidem Fauſtinam ſatis conſtat apud Cajetam conditiones ſibi & nauticas & gladiatorias elegiſſe. Commodum Marcus (*d*) & ſuis præceptis & etiam magnorum atque optimorum virorum erudire conatus eſt. Habuit litteratorem Græcum Oneſicritum, Latinum Capellam Antiſtium; Orator ei Attejus Sanctus fuit. Sed tot diſciplinarum magiſtri nihil ei profuerunt: tantum valet aut ingenii vis, aut eorum, qui in aula inſtitutores habentur. Nam a prima ſtatim pueritia turpis, improbus, crudelis, libidinoſus, ore quoque pollutus & conſtupratus fuit. Victor autem e Syria rediens Lucius Verus, (*e*) quum petiſſet, ut filii Marci Cæſares nuncuparentur, *appellatus* (*f*) *eſt Cæſar puer cum fratre ſuo Vero, quarto* (*g*) *Iduum Octobrium, Pudente & Pollione Coſſ.* (*h*): quumque Germaniam devictis hoſtibus pacaſſet Marcus, cum eo Commodus dictus eſt *Germanicus* (*i*) *Idibus Herculeis Maximo & Orphito Coſſ.* (*k*) Sarmaticus quoque cognominatus eſt, poſtquam *Pannonias* (*l*) *Marcomannis, Sarmatis, Wandalis, ſimul & Quadis extinctis ſervitio liberavit* Pater.

(*a*) Lamprid. in Com. c. 1.
(*b*) An. U. C. 914. Chr. 161.
(*c*) Capitol. in Marc. c. 19.
(*d*) Lamprid. ib.
(*e*) Capitol. in Marc. c. 12.
(*f*) Laprid. in Com. c. 1.
(*g*) Id. c. 11.
(*h*) An. U. C. 919. Chr. 166.
(*i*) Id. Lampr. eod. cap. 11.
(*k*) An. U.C. 925. Chr. 172.
(*l*) Capitol. in Marc. c. 17.

Num.

Num. II.

IMP. CAES. L. AVREL. COMMODVS GERM. SARM. *Imperator Cæſar Lucius Aurelius Commodus Germanicus Sarmaticus*, pectore tenus, Ægide, in qua caput Gorgonis, tecto.

TR. POT. COS. *Tribunicia Poteſtate Conſul*. Commodus cum ſceptro conſulari & Marcus Pater cum globo in quadriga, præeunte milite, ac ſupervolitante Victoria.



RES novas moliente Caſſio in Syria, (*a*) vehementer perterritus Marcus, Commodum filium, veluti qui jam poſſet inter puberes haberi, Roma in Germaniam accerſivit. *Profectus* (*b*) autem *eſt* Commodus *in Germaniam* XIII. *Kalendas Ælias*, *ut poſtea nominavit*, *Piſone & Juliano* (*c*) *Coſſ.* Ubi vero ad limitem pervenit, (*d*) togam ei virilem dedit Marcus *nonarum* (*e*) *Juliarum die*, & congiarium populo diviſit. At Caſſius, (*f*) poſtquam tres menſes imperii ſexque dies ſomniaſſet, jugulatus eſt. quo accepto Romæ nuntio, inter alias acclamationes, quibus Marcum Senatus proſecutus eſt, legitur (*g*) etiam *Commodo Tribuniciam Poteſtatem rogaſſe*. Sed Marcus deferre diſtulit: nam ex Capitolino (*h*) tum in orientem profectus eſt, ibique res ordinavit; poſtea Romam venit ac *triumphavit*: *exinde Lavinium profectus eſt*: *Commodum deinde ſibi conlegam in Tribunicia Poteſtate junxit*. Tempus conlatæ cum imperio Tribuniciæ Poteſtatis ita Lampridius ſtatuit: (*i*) *Cum Patre appellatus eſt Imperator* V. *Kalendas Exſuperatorias*, h. e. (*k*) Decembres, *Pollione iterum & Apro* (*l*) *Coſſ.*: *Triumphavit* X. *Kalendas Amazonias*, i. e. Januarias *iiſdem Coſſ.*, anno ſcilicet U. C. DCCCCXXIX. Neque vero credendum eſt, Lampridium, ubi ſcribit Commodum cum Patre appellatum eſſe *Imperatorem*, de appellatione *Imperatoris* ob victorias accipiendum eſſe: de imperio enim intelligendum ex eo conſtat, quod tum nulla victoria fuit, (*m*) neque Marcus ipſe *Imperatoris* titulum auxit. Animadvertendum porro eſt, in hoc nummo Commodum triumphantem ac ſimul Conſulem exhiberi; qui, quum *triumphaverit* X. *Kalendas* Januarias, nec niſi ſubſecutis ipſis (*n*) Kalendis Conſul proceſſerit, Conſul heic

(*a*) Xiphil. ex Dio. Lib. LXXI. p. 810. C.

(*b*) Lamprid. in Vit. c. 2.

(*c*) An. U. C. 928. Chr. 175.

(*d*) Capitol. in Marc. c. 22.

(*e*) Lamprid. in Com. c. 2.

(*f*) Xiphil. Lib. LXXI. p. 813. A.

(*g*) Apud Vulc. Gallic. in Caſſio c. 13.

(*h*) In Marc. c. 27.

(*i*) In Vit. c. 12.

(*k*) Id. Lampr. cap. 2.

(*l*) An. U. C. 929. Chr. 176.

(*m*) Vid. Anim. de tit. Imp. n. IV.

(*n*) Chr. 177.

designatus accipi debet. Nam, si processum Consularem nummus respiceret, Commodum exhiberet, non jam cum Marco Patre, sed aut solum, aut cum Quintillo, (*a*) cum quo Consulatum iniit; nec militem præeuntem volitatemque Victoriam, militiæ triumphique signa haberet, sed Consularia tantum insignia præferret. Præterea curru utitur *instar* (*b*) *turris rotundæ confecto*, qualem conscendisse triumphatores, notavimus (*c*). Et Gorgonis caput cinctum anguibus gerit in pectore ad instar Jovis; cui, quum fidens adolescentia, bellum contra Titanas appararet, (*d*) responsum ferebatur, si vincere vellet, *ut Ægos pelle tectus, & capite Gorgonis bellum administraret, quam Ægida Græci appellarunt*: eoque facto Titanas superasse, regnumque adeptum fuisse, fama erat.

(*a*) Fast. Consl.

(*b*) Zonar. Lib. VII. Annal. 21.

(*c*) Ad num. 2. Tab. XVI.

(*d*) Hygin. Lib. II. Astron. in Heniocho.

Num. III.

IMP. COMMODVS AVG. PIVS FELIX. *Imperator Commodus Augustus Pius Felix*, capite laureato.

VOTIS FELICIBVS. Turris accensa, duæque figuræ stantes in littore, taurus vero in mare projectus, navesque inde solventes.



Arco Imperatore apud Sirmium (*e*) Reip. exempto, die XVI. Kalendarum Aprilium anno U. C. DCCCCXXXIII., (*f*) solus Remp. tenuit Commodus. Quum vero eamdem pessumdaret, in Senatus odium ita venit, ut & ipse crudeliter in tanti ordinis perniciem sæviret, fieretque contemptui. Itaque *Senatu* (*g*) *semet ridente, quum adulterum matris, Consulem designasset, appellatus est Pius; quum occidisset Perennem, appellatus est Felix*. Inter plurimas cædes multorum Civium, quasi quidam novus Sulla, idem Commodus, ille *Pius*, ille *Felix*, finxisse etiam quamdam contra se conjurationem dicitur, ut multos occideret. *Classem Africanam* (*h*) *instituit, quæ subsidio esset, si forte Alexandrina frumenta cessassent. ridicule etiam Carthaginem, Alexandriam Commodam togatam* appellavit; *quum Classem quoque Africanam, Commodianam Herculeam appellasset*. Quemadmodum itaque Alexandriæ ad mare promontorium erat, (*i*) turrim habens multis fastigiis structam, quæ, quum

ora

(*e*) Tertull. in Apolog. c. 25.

(*f*) Chr. 180.

(*g*) Lamprid. in Vit. c. 8.

(*h*) Id. c. 17.

(*i*) Strab. Lib. XVII. p. 971.

ora ex utraque parte importuosa & humilis esset, cautesque & brevia haberet, signo erat alto ac lucido, quo usi navigantes ex alto portus ingressum contingere possent; ita classi Africanæ turrim consimilem ædificari, Commodum curasse testis est hic nummus: abeuntique classi projectum in mare taurum, & sacra de more facta ostendit; *Duces* (a) enim *mare ingredientes immolare hostias fluctibus consueverunt*.

(a) Cicer. Lib. III. de Nat. Deor. c. 20.

T A B. XXVII.

Num. I.

M. COMMODVS ANTONINVS AVG. PIVS.... *Marcus Commodus Antoninus Augustus Pius* ...., capite laureato.

TR. P. VII. COS. III. VOTA PVBLICA. *Tribunicia Potestate septimum, Consul tertium, Vota Publica*. Figura velata coram Templo sacrificans, cum ministris.



PRænomine *Lucii*, quod prius gerebat, relicto, in gratiam Patris illud *Marci*, quemadmodum & *Antonini* nomen, adscivit Commodus. Tribuniciam vero potestatem *septimam* auspicatus est die decima Decembris anno U. C. DCCCCXXXIV., (b) quo anno Kalendis Januariis *Consul tertium* (c) cum L. Antistio Burro processerat. Adsumptus fuerat a Patre *in omnia conlegia* (d) *Sacerdotalia Sacerdos* XIII. *Kalendas Invictas Pisone & Juliano* (e) *Coss.*; Pontifex vero Maximus Patre defuncto evaserat. Hinc *Vota Publica* concipit aut solvit hoc in nummo Commodus; quamvis *Deorum Templa* (f) *polluerit stupris & humano sanguine*. Vota etiam pro eo facta leguntur (g) *Nonis Piis*, *Fusciano iterum Cos.*, anno sc. U. C. DCCCCXLI. (h) *Pium* quippe non semet tantum, dici passus est, sed & mensem Aprilem (i) ita nominavit.

(b) Chr. 181.
(c) Fast. Conf. & Insc. apud Fabret. p. 340. & Reland. in Fast. Cons. p. 55.
(d) Lamprid. in Vit. c. 12.
(e) An. U. C. 928. Chr. 175.
(f) Lamprid. in Vit. c. 11.
(g) Apud eumd. c. 12.
(h) Chr. 188.
(i) Dio Lib. LXXII. p. 824. C.

Num.

Num. II.

M. COMMODVS ANTONINVS PIVS FELIX AVG. BRIT. *Marcus Commodus Antoninus Pius Felix Augustus Britannicus*, capite laureato.

P. M. TR. P. XI. IMP. VII. COS. V. P. P. FIDES EXERCIT. *Pontifex Maximus*, *Tribunicia Poteſtate* XI., *Imperator ſeptimum*, *Conſul quintum*, *Pater Patriæ*, *Fides Exercitus*. Commodus milites e ſuggeſto adloquens.



FUerunt Commodo bella quædam cum Barbaris, (*a*) qui ultra Daciam incolebant. Sed bellum *Britannicum* omnium longe maximum fuit; quippe, quum ejus inſulæ nationes eum tranſgreſſæ murum eſſent, qui inter ipſas & Romanorum caſtra intercedebat, vaſtaſſentque multa, Romano Duce & militibus, quos ſecum habebat, cæſis, Commodus timore perterritus, contra eas Ulpium Marcellum miſit. Hic autem maximis atque graviſſimis damnis adfecit Barbaros; unde *appellatus* (*b*) eſt *Commodus Britannicus*, & Imperator ſextum dictus eſt: hic enim titulus cum illo *Britannici* (*c*) conjunctus occurrit. Titulos vero IMP*eratoris* VII. & VIII., quos ultra non pervenit Commodus, forte victoriis de Tranſrhenanis & Mauris conſecutus eſt. Albinus (*d*) enim ad Gallias translatus, in ea *fuſis* gentibus *Tranſrhenanis* celebre nomen ſuum & apud Romanos & apud Barbaros fecit. *Victi* (*e*) *ſunt* etiam *per Legatos Mauri*. Hinc *Fidem exercitus* commendat Commodus: cui cuſus eſt hic nummus inter Kalendas Januarias anni U. C. DCCCCXXXIX., (*f*) quibus *Conſul quintum* proceſſit, & diem decimam Decembris ejuſdem anni, qua Tribuniciam Poteſtatem XII. ingreſſus eſt.

(*a*) Ex Dio. Xiphil. Lib. LXXII. p. 820. C.

(*b*) Lamprid. in Vit. c. 8.

(*c*) In num. apud Mediob. p. 248. & in Muſ. Theup. pag. 207. 549. & 555.

(*d*) Capitol. in Albin. c. 6.

(*e*) Lamprid. in Com. c. 13.

(*f*) Chr. 186.

Num. III.

P. M. TR. P. XII. IMP. VII. COS. V. P. P. *Pontifex Maximus, Tribunicia Poteſtate duodecimum, Imperator ſeptimum, Conſul quintum, Pater Patriæ.* Commodus paludatus & cum haſta ſedens ante Caſtorem, aſtro inſignem, cum haſta & equo.

E Tribunicia Poteſtate XII., tituloq. Imperatoris VII. & VIII., tum etiam de Conſulatu V. Commodi, modo egimus. Heic tantum notamus, titulum IMP. VII. cum TR*ibunicia* Poteſtate XII. ſtare non poſſe: nam occurrit [*a*] Commodus jam tum in TR. P. XI. IMP*erator* VIII.; ideoque etiam in hoc nummo legendum credimus IMP. VIII. Quo autem typus hujus nummi ſpectet, incertum. At, ſi ariolari licet, ludos Circenſes equorum reſpicit. nam *Caſtori & [b] Polluci deputabantur hæ ludorum ſpecies, quibus a Mercurio equos diſtributos hiſtoriæ,* ſeu potius fabulæ, *docent.* Meminit vero Dio [*c*] equeſtrium certaminum imperante Commodo [*d*] peractorum. Caſtor autem eſt, ante quem ſedet in nummo Commodus; nam *Caſtor gaudet equis.*

[*a*] Apud Mediob. Hardu. in Hiſt. Aug. Muſ. Theup. p. 548. & al.

[*b*] Iſidor. Lib. XVIII. Origin. c. 24.

[*c*] Lib. LXXII. p. 823. B.

[*d*] Horat. Lib. II. Sat. I. v. 26.

Num. IV.

MINER. VICT. P. M. TR. P. XIIII. IMP. VIII. COS. V. P. P. *Minervæ Victrici, Pontifex Maximus, Tribunicia Poteſtate* XIIII., *Imperator octavum, Conſul quintum, Pater Patriæ.* Minerva tunica talari tecta, Victoriam in dextra, haſtam in ſiniſtra tenet; ad pedes ſcutum, a tergo tropæum.

Ngreſſus die quarto Idus Decembris anno U. C. DCCCCXLI. [*e*] *Tribuniciam Poteſtatem quartam decimam* Commodus, nummum hunc Minervæ Victrici fieri dedicarique curavit. Minerva autem *Victrix* appellabatur, [*f*] quod, quum bellicæ artis peritia & prudentia prævalere exiſtimaretur, conſequens videbatur, ut victoriam reportaret: prudenter enim bellum gerere victorio-

[*e*] Chr. 188.

[*f*] Etym. magn. Græc.

rio-

[a] Phurnut. de Minerva. riosum est. inde in ejus honorem [*a*] *tropaea* erigebantur. Hoc autem in nummo exhibetur ipsa Minerva eo habitu, quo & Athenis videbatur; *τὸ ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς ὀρθόν ἐςιν ἐν χιτῶνι ποδήρει. —. ϗ Νίκη —. ἐν δὲ τῇ χειρὶ δόρυ ἔχει, ϗ οἱ πρὸς τοῖς ποσὶν ἀσπίς τε κεῖται*, [b] Pausan. Lib. I. c. 24. p. 58. [*b*] nempe *cum tunica talari & Victoria, manu hastam tenens, & cum scuto ad pedes*. Minus tamen convenit hic typus Commodo; [c] Apud Lamprid. in Vit. c. 13. pugnasse [*c*] quippe cum bestiis, non cum hostibus legitur; quin bellum Germanicum, quod Pater paene confecerat, legibus hostium addictus remisisse [d] Apud eumd. c. 3. [*d*] traditur. Victi sunt sub eo tamen [*e*] [e] Id. c. 13. per legatos Mauri, victi Daci, Pannoniae quoque compositae: in Britannia, in Germania, & in Dacia imperium ejus recusantibus provincialibus, omnia per Duces sedata sunt.

TAB. XXVIII.

Num. I.

M. COMMODVS ANTONINVS PIVS FELIX AVG. BRIT. *Marcus Commodus Antoninus Pius Felix Augustus Britannicus*, capite laureato.

FORT. FELI. P. M. TR. P. XIIII. IMP. VIII. COS. V. P. P. *Fortunae Felici, Pontifex Maximus, Tribunicia Potestate quartum decimum, Imperator octavum, Consul quintum, Pater Patriae*. Mulier cum caduceo in dextra & duplici cornucopiae in sinistra, prorae navis insistit pede dextro.

[f] Dio Cass. Lib. LXXII. p. 823.



QUum rei frumentariae magna esset inopia, [*f*] eamque Dionysius Papirius, Praefectus annonae, majorem fecisset, ut populus Romanus culpam in Cleandrum, Praefectum Praetorio, propter furta, quae faciebat, praecipue conjiceret, haberetque hominem odio, atque etiam, id quod accidit, interficeret, ludis Circensibus, equis septimo loco certamen cursus inituris, magna multitudo puerorum in Circum adcurrit. Eos procera virgo & trux adspectu ducebat; quae Dea fuisse existimata est. Hi pueri quum primo maximos clamores edidissent, eosque statim populus excepisset, conclamassetque una, tandem exiliens universus recta ad Commodum, (is erat in suburbano Quintilii),

lii), proficiſcitur ; πόλλα μὲν τῷ Κομμόδῳ κἀγαθὰ ἐπευχόμενος , *ibi Commodo multa fauſta atque felicia precatur* , Cleandrum vero execratur maxime , adeo ut Commodus Cleandrum ſtatim ejuſque filium , qui in manibus Commodi educabatur , interfici juſſerit . Hinc ſæculum aureum , Commodianum nomine adſimulans , (*a*) *vilitatem propoſuit* ; ex qua tamen majorem penuriam fecit . *Claſſem* quoque *Africanam* (*b*), ut paullo ante dictum , *inſtituit* , *quæ ſubſidio eſſet* , *ſi forte Alexandrina frumenta ceſſaſſent* . Fortuna itaque proræ navis inſiſtens hoc in nummo exhibetur , ac *præſto eſt* (*c*) *duplici cornu abundanti copioſa* ; geritque caduceum , virgam nempe Mercurii auream , (*d*) quam ſerpentes ornant , opum paciſque ſymbolum .

(*a*) Lamprid. in Vit. c. 14.
(*b*) Id. c. 17.
(*c*) Petron. Satyr. pag. 88.
(*d*) Phurnut. de Mercur.

Num. II.

TEMPORVM FELICITAS . Quatuor pueri , quorum alter , caniſtrum floribus oppletum gerens , ver denotat , alter cum falce æſtatem ; tertius cum fructibus ac lepore autumnum deſignat ; quartus veſte tectus , & cæſum ramum dextra , gruem captam ſiniſtra tenens , hiemem exprimit .


MAgnus ille mundi opifex (*e*) immutabile ævum quatuor anni mutationibus cinxit , *hiemis* quidem tempeſtatem terminans vere , *ver* autem , quod anni tempeſtatum initium eſt , velut æqua lance ponderans . Deinde , quum univerſum ævum multiplicibus veris fructibus exornaſſet , *æſtatis* ardori illud tradidit : poſtea vero velut laboris ceſſationem ac requiem concedens , *autumnali* intervallo ipſum refocillavit : poſtremo velut regium equum , humidis *hibernorum* imbrium lapſibus ipſum abſtergens , & ex alto fluentibus aquis politum ipſum ac ſplendidum reddens , & adſiduis pluviarum irrigationibus pinguefaciens , rurſus ipſum in veris conſtituit veſtibulo . Ad hunc modum ſummus omnium Imperator ævum totius anni circulo hujuſmodi divinæ ſapientiæ habenis adſtrinxit . At vero adulatores in partem divinæ hujus adminiſtrationis contra omnem rationem Commodum etiam vocantes , καὶ τὸν αἰῶνα τὸν ἐπ' αὐτοῦ , χρυσοῦν τε ὀνομάζεσθαι ; καὶ ἐς τὰ γράμματα πάντα ὁμοίως ἐσγράφεσθαι , ἐψηφίσθη ,

(*e*) Euſeb. Orat. de Laud. Conſtant. M. habita in ejus XXX. c. 6.

L decre-

(a) Dio Caſſ. Lib. LXXII. p. 824. E.
(b) Lamprid. in Vit. c. 14.

(*a*) *decreverunt, ut id ævum, quo is principatum teneret, nominaretur ſæculum aureum, idque in omnibus litteris ſcriberetur.* Ipſe quoque *ſæculum* (*b*) *aureum, Commodianum nomine adſimulavit.* Quo ſpectat hujus nummi typus & inſcriptio.

Num. III.

COS. VI. *Conſul ſextum.* Vir cum proboſcide elefanti in capite, & ſpicis in ſiniſtra, humi ante Commodum paludatum ſedens, dextram leoni, ſiniſtram vaſi aquas fundenti imponit; Victoria vero tropæum adornat.

(c) Chr. 190.
(d) Apud Grut. p. MCI. 2. & Reland. in Faſt. Coſ.
(e) Claudian. in I Coſ. Stilic. Lib. II. v. 256.
(f) Lamprid. in Vit. c. 13.
(g) Pauſan. in Archad. c. 43. p. 689.
(h) Num. 3. Tab. XVI.


SExtum iniit Conſulatum Commodus Kalendis Januariis anni U. C. DCCCCXLIII., (*c*) conlega adſumpto M. Petronio Septimiano, ut in Faſtis habetur, & Inſcriptionibus (*d*). Nilus porro eſt Vir ille, qui cum *ſpicis* (*e*) in manu & proboſcide elephanti in capite videtur in nummo. Adloquitur autem Commodum, eique gratias agit de compreſſis barbaris: *victi enim ſunt* (*f*) *ſub Commodo per Legatos Mauri.* Hunc vero typum mutuatus eſt Commodus ab Antonino Pio; qui, quum finibus ſuis pulſos eoſdem Mauros, (*g*) in ultimas Libyæ ſolitudines egiſſet, eodem modo victoriam hanc exprimi (*h*) curavit. Spicæ & proboſcis frugum elephantorumque copiam notant.

Num. IV.

L. AELIVS AVRELIVS COMMODVS AVG. PIVS FELIX. *Lucius Ælius Aurelius Commodus Auguſtus Pius Felix*, capite leonina pelle tecto.

HERC. ROM. CONDITORI P. M. TR. P. COS. VII. P. P. *Herculi Romæ Conditori, Pontifici Maximo, Tribunicia Poteſtate, Conſuli ſeptimum, Patri Patriæ.* Commodus, Herculis habitu, ducit aratrum.

(i) Lib. LXXII. p. 828. A.
(k) Lib. I. c. 15.


ABſciſſo Coloſſi capite, ſui capitis imaginem repoſuiſſe Commodum, data ei clava, æneoque leone ſubjecto, ut Herculi ſimilis eſſet, teſtis eſt Dio Caſſius, (*i*) cum Herodiano (*k*), confirmatque nummus. Heic enim & prægrandi figura eſt ipſius Commodi

di caput, & ſpolio leonis tegitur: nam pugnaſſe Hercules cum leone, ipſumque clava mactaſſe, & interempto pellem abſtuliſſe dicebatur, *quo* (*a*) *deinde ſpolio inceſſit ſemper indutus*, in ſignum perceptæ victoriæ. Eo autem vecordiæ petulantiæque proceſſit Commodus, ut paternum nomen repudiaret, ἀντὶ δὲ Κομμόδυ ϗ Μάρκυ ὑῦ, Ἡρακλέα τε ϗ Διὸς ὑὸν ἀυτὸν κελεύσας καλεῖσθαι, (*b*) *ac pro Commodo Marci Filio, Herculem ſe Jovis filium appellari juſſerit*. Quumque cognomina multa ſibi adſumpſiſſet, illud præſertim Herculis retinuit, Romamque æternam felicem Coloniam, Orbem orbis terrarum denominavit: volebat enim, illam ſuam eſſe coloniam videri; (*c*) ϗ ἀνδρίας τε ἀυτῷ χρυσῦς, χιλίων λιτρῶν μετά τε ταύρυ ϗ βοὸς θηλείας ἐγένετο, *atque ob id ſtatua ei aurea mille librarum cum tauro & vacca facta eſt*, & in hoc numiſmate expreſſa. *Conditores* (*d*) *enim Civitatum taurum in dextram, vaccam intrinſecus jungebant*: & tenebant ſtivam incurvam, ut glebæ omnes intrinſecus caderent: & ita ſulco ducto loca murorum deſignabant, aratrum ſuſpendentes circa loca portarum: unde territorium dictum eſt, quaſi terribovium, hoc eſt, tritum bobus & aratro.

(*a*) Albric. de Deor. imag. in Herc.

(*b*) Herodian. Lib. I. c. 14.

(*c*) Dio Caſſ. apud Xiphil. Lib. LXXII. p. 824. C.

(*d*) Cat. in Lib. Orig.

TAB. XXIX.

Num. I.

Λ. ΑΥΡ. ΚΟΜΟΔΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΓΕΡ. ΣΕΒ. ΥΟΣ. *Lucius Aurelius Comodus Cæſar Germanicus Auguſti Filius*, capite nudo.

ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΝΕΟΚΟΡΩΝ. *Cyzicenorum Neocororum*. Commodus nudus ſtans cum pallio ſuper ſiniſtrum brachium, & haſta in dextra.



EN Commodus *Cæſar* tantum & *Auguſti Filius*, nondum Auguſtus, cum *Lucii* prænomine, quod poſtea depoſuit, quum illud *Marci* in gratiam Patris adſumpſit, iterumque recepit, quum paternum repudiavit, (*e*) ut Hercules Jovis Filius vocaretur. quin & menſis quidam Λύκιος, (*f*) *Lucius* ab eo nominatus eſt. Cyziceni itaque, quum profectum in Germaniam, ut eſſet Patri ſolatio, ſimulque bellis & imperio adſueſceret, *ap-*

(*e*) Vid. Com. ad ſuper. num.

(*f*) Dio Caſſ. Lib. LXXII. p. 824 C.

pellatumque a Patre *Germanicum* Commodum intellexissent, seu etiam prætereuntem & in orientem cum Marco proficiscentem suspicerent, eumdem in nummis sub alterius e Dioscuris, quos colebant, (*a*) quorumve caussa sicut & aliorum Numinum *Neocori* iisque devoti appellabantur, imagine expresserunt.

(*a*) Vid. Com. ad num. I. Tab. XXIV.

Num. II.

ΕΠΙ ΣΤΡΑΤΙΓΟΥ ΑΥΛΟΥ ΤΟΥ ΜΑΡΚΟΥ ΤΟΥ ΦΩΚΑΙΕΩΝ. *Sub Prætore Aulo, Marci Filio, Phocæensium*. Prora navis.


Hocæa (*b*) Joniæ Urbs fuit, in sinu (*c*) maris intimo posita, oblonga forma: duum millium & quingentorum passuum spatium murus amplectebatur: coibat deinde ex utraque parte in arctiorem velut cuneum. Lamptera ipsi appellabant: mille & ducentos passus ibi latitudo patebat: inde in altum lingua mille passuum excurrens, medium fere signum velut nota distinguebat. ubi cohærebat faucibus angustis, duos in utramque regionem versos portus tutissimos habebat: qui in meridiem vergebat, Naustathmos ab re appellabatur, quia ingentem vim navium capiebat: alter prope ipsum Lamptera erat. Οἱ δὲ Φωκαίεες ὗτοι ναυτιλίῃσι μακρῇσι πρῶτοι Ἑλλήνων ἐχρήσαντο: (*d*) *Phocæenses autem, primi Græcorum longis navigationibus usi sunt*, Adriamque simul & Thyrrheniam, Iberiam, atque Tartessum, hi sunt, qui ostenderunt. hinc navis proram in numismate signarunt.

(*b*) Stephan.
(*c*) Liv. Lib. XXXVII. c. 31.
(*d*) Herodot. Lib. I. c. 163.

Num. III.

ΕΠ. ΣΤΡ. ΠΟ. ΑΙΛ. ΑΡΙΖΗΛΟΥ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Sub Prætore Publio Ælio Arizelo Smyrnæorum*. Duæ Nemeses in curru a gryphis vecto.


Orte heic Nemeses repræsentantur, Pudicitia nempe & Justitia, quum, ut erat in fabulis, (*e*) multitudine scelerum indignatæ, oculos a rebus humanis averterunt; tuncque demum ad cœlum a terra spatiosa, candidis vestibus tectæ corpus pulchrum, Deorum ad familiam abierunt, relictis hominibus, ultra ad terrarum regio-

(*e*) Pompon. Lœt. de Nemes. post vit. Dioclet.

giones non redituræ, orbemque renaſcentem expectantes: qua de re Juvenalis: (*a*)

Credo Pudicitiam, Saturno rege moratam
In terris viſamque diu — — —
Paullatim (*b*) *deinde ad Superos Aſtræa receſſit,*
Hac comite: atque duæ pariter fugere ſorores.

Smyrnæos autem cultu præcipuo Nemeſes veneratos eſſe, eaſque novæ Urbis condendæ mandatum Alexandro dediſſe, commentos eſſe, alibi (*c*) tradimus.

(*a*) Lib. II. Sat. VI. v. 1. 2.
(*b*) V. 19. & 20.
(*c*) In Com. ad num. 3. Tab. XXI.

Num. IV.

M. ΑΥΡ. ΚΟΜΟΔΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. *Marcus Aurelius Comodus Cæſar*, capite nudo.

ΕΠΙ ΣΤΡ. ΠΟ. ΑΙΛ. ΑΡΙΖΗΛΟΥ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Sub Prætore Publio Ælio Arizelo Smyrnæorum*. Amazon Commodum coronans.



EX hoc numiſmate, ubi Commodus adhuc Cæſar, *Marci* prænomen gerit, conſtat ipſum Commodum, antequam Imperator eſſet, *Lucii* prænomine, quod ante tulerat, relicto, *Marcum* in gratiam Patris appellari inſcribique cœpiſſe. Hoc autem prænomen pæne ad ultimum imperii vitæque tempus retinuit. Smyrna porro, quæ in parte nummi averſa *ſecurigera* (*d*) *manu & peltata Amazon* adparet; Σμύρνα προσηγορεύθη ἀπὸ Σμύρνης Ἀμάζονος, (*e*) *nomenque a Smyrna Amazone ſortita eſt*, proficiſcenti Commodo cum patre (*f*) in Syriam & Ægyptum, aut cum eo Romam inde revertenti, Smyrnamque ipſam prætereunti, *vel amore proprio*, (*g*) *vel indulgentiarum lætitia, vel rebus proſpere geſtis admonita coronam auream*, uti mos erat, *offert*. Aliunde etiam debebatur Commodo corona; nam rebus proſpere in Germania contra hoſtes a patre ipſoque Commodo geſtis, ad triumphum pergebat: *triumphales* (*h*) autem *coronæ erant aureæ, quæ Imperatoribus ob honorem triumphi mittebantur*.

(*d*) Senec. Agamemn. v. 217.
(*e*) Steph. de Urbib.
(*f*) Lamprid. in Com. c. 2.
(*g*) Cod. Theod. Lib. XII. Tit. XIII. L. 4.
(*h*) Gellius Lib. V. c. 6.

TAB. XXX.

Num. I.

ΑΥΤΟ. ΚΑΙ. Λ. ΑΥΡΗ. ΚΟΜΟΔΟΣ. *Imperator Cæſar Lucius Aurelius Comodus*, capite juvenili ac laureato.
ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ. *Thyatirenorum*. Sol quadrigas agens.

Mperator & *Lucius* dicitur in hoc nummo Commodus a Thyatirenis, quum *Cæſar* tantum, dictus ſit *Marcus* a Smyrnæis in ſuperiore nummo. Aut igitur neſciebant adhuc Thyatireni, mutatum a Commodo *Lucii* prænomen in illud *Marci;* aut titulo *Imperatoris* eumdem etſi tantum *Cæſarem* ornarunt; aut demum prænomen utrumque aliquando uſurpavit Commodus: nam etiam in nummo II. Tab. XXVI. *Imperator* & *Lucius* dicitur. Ipſi autem Commodo, præter ætatis florem, inerat formæ dignitas, (*a*) congruens corporis modus, pulchra viriliſque facies, tranquillæ faces oculis atque micantes, flava & criſpa cæſaries, ut in Sole ambulanti velut igne quodam rutilaret, ſic ut euntem quidam ſcobe aurea putarent conſpergi; quidam etiam pro argumento divinitatis acciperent, ac radios eſſe illos circa verticem genitivos opinarentur. Hinc Solis auguſtum caput, radiis perfuſum circumactumque flammantibus hoc in nummo Thyatira ſignavit. Quæ Urbs Lydiæ fuit, Pelopea & Semiramis prius dicta, a Seleuco autem Nicatore bellum adverſus Lyſimachum gerente, (*b*) ἀκέσαντος, ὅτι Θυγάτηρ αὐτῷ γέγονε, τὴν πόλιν ἐκάλεσε Θυγάτειρα, *quum audiſſet natam ſibi filiam, vocata Thyatira.*

(*a*) Herodian. Lib. I. c. 6. al. 7.

(*b*) Stephan. de Urbib.

Num.

Num. II.

ΕΠΙ ΣΤΡ. ΑΡΙΣΤΟΜ.... ΜΥΤΙΛΗΝΩΝ. *Sub Prætore Ariſtomacho Mytilenenſium*. Commodus eques, elata dextra vexilliferoque præcedente.



Rofectio Commodi in Orientem, quum ordinandis (*b*) poſt mortem Caſſii rebus, *profectus eſt* (*a*) *commendatus militibus cum Patre in Syriam & Ægyptum*, *& cum eo Romam rediit*, heic exprimitur: nam tunc Mytilenem, Urbem in Lesbo (*c*) maximam, acceſſiſſe videtur. Quum autem Sarmatas Germanoſque jam ſubegiſſet, δεξιτέρην δ' ἀνέτεινεν ἑὴν ἐπιμάρτυρα νίκης, (*d*) *dexteram protendit ſuam in teſtimonium Victoriæ*; ſeu etiam finito bello, *dextra* (*e*) *vetat pugnas*.

(*a*) Capitol. in Marc. c. 27.
(*b*) Lamprid. in Com. c. 2.
(*c*) Stephan. de Urbib.
(*d*) De ſtatua Pyrrhi Antilog. Lib. V. Epigr. 35.
(*e*) Statius de ſtat. equeſtr. Domit. Syl. I. v. 37.

Num. III.

ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Nicomedienſium bis Neocororum*. Duo Templa, cum Triremi.



Onceſſerat Bithynis Auguſtus, (*f*) ut ſibi Nicomediæ Templum facerent: imperante poſtea Commodo per Saoterum civem Nicomedienſes impetrarunt a Senatu, καὶ ἀγῶνα ἄγειν καὶ νεὼν τοῦ Κομμόδου ποιήσασθαι (*g*), *ut certamina celebrarent*, *Templumque Commodo facerent*. Quapropter duo hæc Templa oſtentant in nummo Nicomedienſes: & ſacris inde aucti privilegiis, ſe *bis Neocoros* produnt. Triremis autem ſitam ad mare urbem ſignificat; nam *in intimo* Aſtaceno *ſinu* (*h*) *Nicomedia Bithyniæ præclara* poſita erat.

(*f*) Dio Caſſ. Lib. LI. p. 458. B.
(*g*) Id. Lib. LXXII. p. 822. D
(*h*) Plin. Lib. V. cap. ult.

Num.

Num. IV.

ΑΥΤ. ΚΑΙ. Λ. ΑΥΡΗ. ΚΟΜΟΔΟΣ ΣΕΒ. *Imperator Cæsar Lucius Aurelius Comodus Augustus*, capite laureato.

ΑΔΡΙΑΝΗΣ ΚΟΜΟΔΙΑΝΗΣ ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Hadrianæ Comodianæ Tarsi Metropolis bis Neocororum*. Duo Templa cum epigraphe ΚΟΙΝΟΝ ΚΙΛΙΚΙΑΣ. *Commune Ciliciæ*.



AUctor est Dio Cassius, (*a*) Tarsenses Jul. Cæsari ejusque gratia Augusto ita favisse, ut & Urbem suam, *Juliopolin* vocarent. Antiquato postea hujusmodi nomine, *Hadrianam* atque *Commodianam* nuncuparunt, acceptis ab Hadriano & Commodo cognominibus, erectoque utrique Templo. Commodo præterea ludum, qui ΚΟΜΟΔΕΙΟΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟΣ, (*b*) *Comodianus Oecumenicus* dictus est, instituerunt: adeoque *bis Neocori* renuntiati sunt. Communi porro totius Ciliciæ impensa, erecta fuisse hæc duo Templa cultuque frequentata, nummi prodit epigraphe: confluere etenim solebat Tarsum, urbem quippe Ciliciæ maximam, tota provincia: unde & Cæsar *Ciliciæ civitates omnes evocavit Tarsum, quod oppidum*, ut Scriptor belli Alexandrini subdit, (*c*) *fere totius Ciliciæ nobilissimum fortissimumque erat: ibique res omnes provinciæ & finitimarum civitatum constituit*.

(*a*) Lib. XLVII. p. 342. A.

(*b*) Num. Gaz. Gall. Reg. apud Morell. Tab. XIV. Specim. Rei num.

(*c*) Cap. 56.

TAB.

T A B. XXXI.

Num. I.

ΑΥ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡ. ΚΟΜΜΟΔΟΣ. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Commodus*, capite laureato.

ΛΑΚΕΔΑΙ. ΟΜΟ. ΣΜΥΡ. ΣΤΡ. ΑΙΡΑΚΛΕΙΔΟΥ. *Lacedæmoniorum Concordia cum Smyrnæis Prætore Æraclide*. Mater Magna turrita ſedens, dextra pateram tenens, ſiniſtra cymbalo innixa, Mars vero ſtans cum haſta & ſcuto.



Ntiquitus concordiam cum Smyrnæis foviſſe Lacedæmonios, teſtis eſt Plutarchus, qui ſcribit: (*a*) οἳ δὴ καὶ Λακεδαιμόνιοι Σμυρναίοις δεομένοις σῖτον πέμψαντες, *indigentibus* olim *Smyrnæis cibum ſuppeditaſſe Spartanos*. Eadem præterea tenebantur utrique erga Matrem magnam, quæ & Mater Deum, religione: nam, quum Smyrnæ cultum maximum numen hoc in Matroo (*b*) obtineret, & *in regione* (*c*) delubrum eſſet ejuſdem Matris Deum, etiam Lacedæmone τὸ δὲ ἱερὸν τῆς μεγάλης Μητρὸς τιμᾶται περιαττῶς δήτι, (*d*) *Magnæ Matris fanum religione præcipua colebatur*. Ipſa porro Mater magna Smyrnæos hoc in nummo reſpicit, cujus rei fidem faciunt tot alia ipſorum Smyrnæorum numiſmata eodem numine inſignita: Mars autem ad Lacedæmonios ſpectat, quorum bellicas laudes nemo eſt, qui neſciat: quin & *Spartanum fuiſſe Martem*, (*e*) *Epicharmus auctor* eſt.

(*a*) De Adul. & Amici Diſcret. p. 64. B.

(*b*) Strab. Lib. XIV. p. 646.

(*c*) Plin. Lib. XIV. c. 4.

(*d*) Pauſan. Lib. III. p. 183.

(*e*) Arnob. adverſ. Gent. Lib. IV.

Num. II.

ΟΜΟ. ΣΜΥΡ. ΛΑΚΕΔΑΙ. ΣΤΡΑ. ΗΡΑΚΛΕΙΔΟΥ. *Concordia Smyrnæorum cum Lacedæmoniis Prætore Heraclide*. Magna Mater ſedens, Mars vero ſtans cum haſta & ramo olivæ.



Uum paci potius quam bello Lacedæmonii, ex quo in Romanorum devenerunt poteſtatem, ſtudere cœpiſſent, Martem heic paciferum exhibuerunt. Comparet itaque cum haſta tantum, ad modum Minervæ, *paciferæque* (*f*) *manu ramum prætendit olivæ*: atque ita canentem audire eſt:

(*f*) Virgil. de Ænea ad Evandrum accedente, Lib. VIII. Æneid. v. 115.

(a) Apud Ovidium Lib. III. Fast. v. 173.

Nunc (a) primum studiis pacis Deus utilis armis
Advocor, & gressus in nova castra fero.
Nec piget incœpti; juvat hac quoque parte morari,
Hoc solum ne se posse Minerva putet.

Num. III.

ΣΤΡ............ΜΟΛΑΟΥ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Prætore .... Hermolao Smyrnæorum*. Pallas armata stans dextram dat Matri Magnæ sedenti, innixæque cymbalo.



Myrnam urbem Theseus primum condidit, Alexander postea in ampliorem formam produxit: terræmotu postremo dirutam Imperatores Marcus & Commodus restituere. Quum igitur duos præberet originis auctores, (b) duosque sortita esset restitutores, duplex etiam heic numen, Palladem scilicet & Matrem Magnam exhibuit. Mater Magna numen erat Urbis præcipuum, ut ex frequenti ejusdem Matris Magnæ in nummis imagine constat. Pallas quoque tum ut studiorum tum etiam ut bellorum præses colebatur: utraque enim gloria satis floruisse Smyrnæos scimus. Præterea Παλλάδ᾽ Ἀθηναίην ἐρυσίπτολιν, (c) *Palladem Minervam Patronam Urbium* colebant veteres, cui nempe non tantum cum Marte curæ essent bellica opera, περθόμεναί τε πόληες, (d) *sed & dirutæ civitates*: adeoque curam maximam Pallas ipsa habuisse Smyrnæ visa est.

(b) Aristid. in Palinod. de Smyrna instaurata pag. 149. alias 33.

(c) Homero adscriptus Hymnus in Palladem.

(d) Eod. Hymno.

Num.

Num. IV.

ΑΥ. Λ. ΑΥΡ. ΚΟΜΜΟΔΟΣ. *Imperator Lucius Aurelius Commodus*, capite laureato.

ΜΑ. . . . . ΦΑΝΤΟΥ ΑΡΤΑΣΚΟΥ ΚΡΗΤΩΝ . . . . *Cretensium*. Juppiter cum hasta pura in sinistra, & aquila ad pedes, & alia figura succincta cum hasta pariter in sinistra, & ad pedes cane.



INter Cyrenaicam [*a*] & Græciam jacet in [*b*] medio mari ingens & centum quondam urbibus habitata *Crete*, multis famigerata fabulis, maxime tamen eo quod ibi sepulti Jovis pæne clarum vestigium inesse creditum est, cui nomen ejus insculptum esse accolæ ostendebant: inter colles vero, quod ibi nutritum Jovem acceperant, fama Idæi montis excellebat. Itaque frequens in nummis Cretensium Juppiter: ἐν δὲ τῇ Κρήτῃ τὰ τοῦ Διὸς ἱερὰ ἰδίως ἐπετελεῖτο μετ' ὀργιασμοῦ: [*c*] *& in Creta peculiariter Jovis sacra peragebantur cum orgiis*. Alia figura, quæ Jovi adstat in nummo, esse potest Dictynna [*d*], quam in Cœnone Cretæ, Jove & Carme, Eubuli ex Cerere nati filia, progenitam fabulabantur. Ipsa Dictynna casses venatorum reperisse dicebatur, indeque id nomen retulisse. Familiarior autem erat Dianæ: quamobrem nonnulli Dictynnam & Dianam eamdem esse putabant: θυσίαις τε καὶ ναῶν κατασκευαῖς τετιμῆσθαι παρὰ τοῖς Κρησὶ τὴν θεὸν ταύτην: *& hanc Deam solemni victimarum ritu ac Templorum dedicatione religiose Cretenses honorabant*. Exhibetur itaque in nummo *nuda genu*, [*e*] *vestem ritu succincta Dianæ*: & canes, quemadmodum Dianæ, [*f*] ita ipsi consecrabantur, quum sint ad venationem idonei, & ad vigilias nocturnas latratusque nati. Habet Cl. Seguinus [*g*] nummum Trajani cum figura Dictynnæ & inscriptione ΔΙΚΤΥΝΝΑ ΚΡΗΤ. *Dictynna Cretensium*.

[*a*] Strab. Lib. X. p. 474.
[*b*] Mela Lib. II. c. 7.
[*c*] Strab. Lib. X. p. 468.
[*d*] Dio-dor. Sicul. Lib. V. Bibl. Hist. p. 336. D.
[*e*] Ovid. Lib. X. M.tam. de Venere v. 536.
[*f*] Phurnut. de Luna, quæ & Diana.
[*g*] Pag. 126.

TAB. XXXII.

Num. I.

ΑΥΤ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡΗ. ΚΟΜΟΔΟΣ. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Commodus*, capite laureato.

ΕΠΙ ΣΤΡ. ΜΑΙΓΑΥ ΚΟΡΝΕΛΙΟΥ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ Δ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Sub Prætore .... Cornelio Pergamenorum bis Neocororum*. Commodus paludatus & cum haſta ſuper tabulatum, tropæum ornat, captivo ad pedes manibus poſt terga revinctis jacente, ac popa taurum malleo feriente.



Ictos diximus (*a*) imperante Commodo Mauros, victos Dacos, Pannoniaſque cum aliis provinciis compoſitas: hinc tropæum hoſtilibus ſpoliis ornat Commodus: ac *ponit* (*b*) *Pergameo dona ſacrata Deo*, Æſculapio ſcilicet, dum

Lactantis (*c*) *vituli, dextra libratus ab aure*
Tempora diſcutiat claro cava malleus ictu.

Æſculapius itaque, quum cultum maximum Pergami obtineret, morbiſque mederi crederetur, plurimos undique adtrahebat, Urbemque donariis ac privilegiis, unde & *bis Neocori* heic inſcribuntur Pergameni, cumulabat.

(*a*) In Com. ad num. 4. Tab. XXVII.

(*b*) Martial. Lib. IX. Epigr. 17.

(*c*) Ovid. Lib. Metam. de Malleo.

Num. II.

CRISPINA COMMODI UXOR.

ΚΡΙΣΠΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. *Criſpina Auguſta*. Caput ejuſdem.

ΕΠΙ ΣΤ.... Ρ.... Α... Raptus Proſerpinæ.



Ebus Scythicis (*d*) præſentiam Marci Imp. iterum poſtulantibus, Marcus ipſe uxorem Commodo filio celerius, quam volebat, Criſpinam (*e*) *junxit, Brutii Præſentis filiam, nuptiis celebratis exemplo privatorum, quare etiam congiarium populo dedit*. Hinc Pluto Proſerpinam rapiens ad nuptias in parte nummi poſteriore exhibetur. Pluto itaque tradebatur Proſerpinam Cereris filiam rapuiſſe,

(*d*) Ex Dione Xiphil. Lib. LXXI. pag. 814. C.

(*e*) Capitol. in Marco c. 27.

puisse, eamque sub terra secum adsportasse: διὰ τὸν γινόμενον ἐπὶ χρόνον τινὰ τῶν σπερμάτων κατὰ γῆς ἀφανισμόν: (a) *cujus figmenti caussa est, quod semina cerealia ad tempus aliquod terra oculantur*. Post mortem Marci, ἀπέκτεινε δὲ καὶ τὴν Κρισπίναν ὁ Κόμμοδος, ἐπὶ μοιχείᾳ δή τινι ὀργισθεὶς αὐτῇ, (b) *Crispinam Commodus interfecit, iratus ei adulterii caussa*.

(a) Phurnut. de Cerere.

(b) Dio Cass. Lib. LXXII. p. 818. E.

T A B. XXXIII.

Num. I.

A L B I N U S.

D. CLODIVS SEPTIMIVS ALBINVS CAES. *Decimus Clodius Septimius Albinus Cæsar*, capite nudo.

MINER. PACIF. COS. II. *Minervæ Paciferæ, Consul iterum*. Minerva armata stans cum ramo olivæ in dextra.



Lodius Albinus, (c) familia nobili, Adrumetinus tamen ex Africa, natus est ita *candidus* statim toto corpore, ut linteamen, quo exceptus est, vinceret: quare susceptum eum *Albinorum familiæ* dedit Pater Cejonius Posthumius, *Albini* nomine imposito. Adolescens statim se ad militiam contulit. egit Tribunus equites Dalmatas, egit & legionem Quartanorum & Primanorum. Bithynicos exercitus eo tempore, quo Avidius rebellabat, fideliter tenuit. deinde per Commodum ad Gallias translatus, fusis fugientibus Transrhenanis celebre nomen suum & apud Romanos & apud barbaros fecit. quibus rebus accensus Commodus, *Cæsarianum ei nomen*, referente (d) Capitolino, *obtulit*, & dandi stipendii facultatem & pallii coccinei utendi. quibus omnibus ille prudenter abstinuit, dicens Commodum quærere, qui aut cum eo perirent, aut quos cum caussa ipse posset occidere. Post Commodum, ubi auditum est Pertinacem quoque occisum, (e) Julianum vero cum odio cunctorum imperare, Remp. (f) cum Severo & Nigro capessivit Albinus, qui tum Britanniæ præerat. Ex his Severus acerrimi vir ingenii, quum præcognovisset fore, sublato Julia-

(c) Capitol. in Vit. c. 1. & 4.

(d) In Vit. c. 6.

(e) Spartian. in Severo c. 5.

(f) Dio apud Xiphil. Lib. LXXI. p. 836. D.

liano, ut ipsi inter se de imperio contenderent; statuit alterum sibi devincire: deditque litteras homini fideli ad Albinum, per quas Καίσαρα αὐτὸν ποιῶν, *eum Cæsarem faciebat*. quibus creditis (*a*) Albinus honorem libenter suscepit, lætus citra pugnam aut discrimen ullum, compotem se voti factum. Ceterum Severus, quo omnia credibiliora forent, iisdem illis ad Senatum relatis, νομίσματά τε αὐτῷ κοπῆναι ἐπέτρεψε, *nummisque Albini imagine percuti jussis*, statuisque erectis, fidem gratiæ suæ fecit. Præterea *Albinum* (*b*) *Consulem* iterum *designavit* secum in proximum annum U. C. DCCCCXLVII. (*c*): quo tempore, quum immunem se a bellis videret Albinus, nummum hunc cum *Minerva Pacifera* cudi imperavit. In eo autem ipse exhibetur, ut erat, *capillo* (*d*) *renodi & crispo, ac fronte lata*.

(*a*) Herodian. Lib. II. c. 15.
(*b*) Capitol. in Albin. c. 3.
(*c*) Chr. 194.
(*d*) Capitol. in Vit. c. 13.

Num. II.

SEPTIMIUS SEVERUS.

L. SEPTIMIVS SEVERVS PERTINAX AVG. IMP. IIII. *Lucius Septimius Severus Pertinax, Augustus, Imperator quartum*, capite laureato.

VICT. AVG. P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. *Victoria Augusti, Pontificis Maximi, Tribunicia Potestate tertium, Consulis iterum, Patris Patriæ*. Victoria gradiens cum serto in dextra, & palma in sinistra.



EXtrema die anni U. C. DCCCCXLV. (*e*) per noctem (*f*) suffocato Commodo, indeque octogesima septima (*g*) interfecto etiam Pertinace, Didius Julianus, fretus Prætorianis, quos in societatem promissis magnificentissimis pepulerat, ex præfectura vigilum ad insignia dominatus processit. Ubi vero auditum est, (*h*) Julianum cum odio cunctorum imperare, L. Septimius multis hortantibus, in specie repugnans, simulansque non se quidem imperium quærere, (*i*) aut summam potestatem adfectare, sed ire velle Romam, ultum Pertinacis sanguinem, *Imperator* (*k*) *est appellatus apud Carnutum*. Accedentem, ita-

(*e*) Chr. 192.
(*f*) Dio apud Xiphil. Lib. LXXII. p. 828. B.
(*g*) Id. Lib. seq. p. 834. E.
(*h*) Spartian. in Seu. c. 5.
(*i*) Herodian. Lib. II. c. 9.
(*k*) Id. Spartian. ibid.

itaque ad urbem Lucium Senatus, Juliano, (*a*) postquam ἓξ ἑξήκοντα ἦρξεν ἡμέρας, *imperaverat dies sexaginta sex*, capite mulctato, renuntiavit Imperatorem die prima aut secunda Junii anni U. C. DCCCCXLVI. (*b*) Tum Lucius funus censorium Pertinacis imagini duxit, (*c*) eumque inter Divos sacravit, addito Flamine & Sodalibus Helvianis, qui Marciani fuerant, *se quoque Pertinacem vocari jussit*. Remp. eodem tempore, quo Severus, Niger quoque & Albinus capesserant: adscito itaque in amicitiam Albino, contra Nigrum intra triginta dies, (*d*) quam Romam venerat, Severus profectus est. Æmilianus autem Nigri Præfectus victus est in Hellesponto a Severi Ducibus; fusæque sunt rursum ab his Nigri copiæ: tum Severus litteras ad Senatum, quasi confectis rebus, dedit: deinde conflixit cum Nigro, eumque apud Issicum interemit, & caput ejus pilo circumtulit. Tribus hisce victoriis triplicem *Imperatoris* titulum adquisivit Severus: quumque a militibus & Senatu, quo tempore imperium ei delatum est, *Imperator* nuncupatus fuisset, *Imperator quartum* exinde audivit & in ejus nummis Victoria est exhibita. Die vero x. Decembris anno U. C. DCCCCXLVII. (*e*) Tribuniciam Potestatem tertiam de more accepit Severus; quum Kal. Januariis *Consul iterum* processisset, ac primum fuisset eo anno, quo Cleander (*f*) Consules viginti quinque fecit.

(*a*) Dio Lib. LXXIII. p. 838. E. & 839. A.

(*b*) Chr. 193.

(*c*) Spartian. in Seu. c. 7.

(*d*) Id. c. 8.

(*e*) Chr. 194.

(*f*) Dio Cass. apud Xiphil. Lib. LXXII. p. 822. E.

Num. III.

L. SEPTIMIVS SEVERVS PERTINAX AVG. IMP. VII. *Lucius Septimius Severus Pertinax Augustus Imperator septimum*, capite laureato.

DIVI M. PII. F. P. M. TR. P. IIII. COS. II. P. P. *Divi Marci Pii Filius, Pontifex Maximus, Tribunicia Potestate quartum, Consul iterum, Pater Patriæ*. Mars seu miles armatus stans.



DUm muri Byzantiorum, (*g*) qui Nigri partes susceperant, obsiderentur, Severus gloriæ cupiditate inductus, exercitum contra Osroënos, Adiabenos & Arabas duxit. Euphratem itaque transiit, (*h*) ac terram hostilem invasit. postquam autem Nisibin venit, ibi substitit, Laternum vero, Candidum, & Lætum contra Adia-

(*g*) Xiphil. ex Dion. in princ. Lib. LXXV. p. 848.

(*h*) Id. pag. 849. A.

Adiabenos, alium alia via misit. hostem itaque adgredientes Duces, & agros populati sunt, & oppida ceperunt. Osroënorum Rex Abgarus (*a*) ad Severum transfugit, traditisque obsidio liberis, fidem suam auctoravit, sagittariorumque vim magnam misit auxilio. Severus (*b*) autem rursus exercitum in tres partes distribuit, quarum partium uni Lætum, alteri Anulinum, tertiæ Probum præfecit; eosque contra Arcen, [Arabiæ metropolim] dimisit: quam illi tripartitis copiis & itineribus adgressi, in potestatem, non absque labore redegerunt. Demum & Byzantii, (*c*) postquam multa egissent ac multa passi essent per triennium, quo a cunctis fere Orbis terrarum exercitibus obsessi sunt, urbis deditionem (*d*) vel inviti fecere. Victis itaque Arabis & Adiabenis, partoque Arabici & Adiabenici cognomine, titulos etiam *Imperatoris quintum & sextum* Severus consecutus est; *septimum* vero *Imperator* capto Byzantio dictus est. Promiserat, (*e*) quum imperium suscepit, æmulum se Marci futurum gerendo imperio; quin τοῦ τε Μάρκου Υἱὸν καὶ τοῦ Κομμόδου ἀδελφὸν ἑαυτὸν ἔλεγε, (*f*) *se Marci Filium, Fratremque Commodi* aliquando *dixit*, & inscriptus sicut alibi (*g*), ita heic etiam est. Comparet autem *decorus*, *promissa barba*, (*h*) *capite crispo*, *vultuque reverendus*: in altera vero parte nummi sub Martis seu Ducis militaris specie exhibetur: *fuit enim* (*i*) *bellicosissimus omnium, qui ante eum fuerunt, felix etiam* (*k*) *& prudens, armis præcipue, adeo ut nullo congressu nisi victor discesserit*. Agebat vero, quum ei hic nummus cusus est, Tribuniciam Potestatem quartam, quam die x. Decembris anno U. C. DCCCCXLVIII. (*l*) susceperat.

(*a*) Herodian. Lib. III. c. 9.
(*b*) Dio apud Xiphil. ibid.
(*c*) Id. Lib. LXXIV. p. 845. E.
(*d*) Id. p. 847. B.
(*e*) Herodian. Lib. II. c. 14.
(*f*) Dio apud Xiphil. Lib. LXXV. p. 853. B. Spartian. c. 10.
(*g*) Apud Grut. p. CCLXIII. 8. & p. CCLXIV. 2.
(*h*) Spart. in Vit. c. 19.
(*i*) Vict. jun.
(*k*) Vict. de Cæsar.
(*l*) Chr. 195.

TAB.

T A B. XXXIIII.

Num. I.

ΑΥ. ΚΑΙ. Λ. ΣΕΠΤΙΜ. ΣΕΟΥΗΡΟΣ ΠΕΡΤΙ. *Imperator Cæſar Lucius Septimius Severus Pertinax* capite laureato.
ΕΠΙ ΣΤΡ. ΝΑΡΑΤΙΟΥ ΔΙΟΓΕΝΟΥΣ ΑΔΡΙΑΝΟΘΗΡΕΥΤΩΝ. *Sub Prætore Naratio Diogene*, Vaillantius legit (*a*) ΠΑΝΚΡΑΤΙΟΥ & ΑΔΡΙΑΝΟΘΥΡΕΩΝ, Harduinus habet (*b*) ΑΔΡΙΑΝΟΘΗΡΕΙΤΩΝ *Hadrianotheritarum*. Imperator paludatus coronat tropæum, ad cujus imum duo captivi.

(a) In Græc. Severi.
(b) Sive Ἀδριανοθηρῖτων in num. Popp.



HAdrianotheritæ, ejus urbis accolæ, quam (*c*) πόλιν ἐν τῇ Μυσίᾳ οἰκίσας, Ἀδριάνε θήρας αὐτὴν ὠνόμασεν, *in Myſia ædificavit Hadrianus, appellavitq; Hadrianotheras*, h. e. Hadriani venationes, quod illic (*d*) & feliciter eſſet venatus, & urſam occidiſſet, L. Septimio Severo numiſmatis huius typo victorias gratulantur. Forte vero eam ſpectant, quam fuſo fugatoq; (*e*) apud Cyzicum, vicinam urbem Nigri exercitu Severus reportavit. Nam tum Severus ipſe *triumphum* (*f*) *reſpuit*, *ne videretur de civili triumphare victoria*. tropæum tamen admittere potuit; quippe tropæa erigebantur in honorem Jovis, & Junonis, unde occurrit (*g*) etiam Τροπαῖος Ζεὺς & Τροπαία Ἥρα, quorum beneficio fuga ab hoſtibus capta relataque victoria credebatur.

(c) Dio apud Xiphil. Lib. LXIX p. 792. C.
(d) Spartian. in Hadr. c. 20.
(e) Herod. Lib. III. c. 2.
(f) Spartian. in Vit. c. 9.
(g) Ariſtot. Lib. XXVI. Probl. 5.

Num. II.

ΕΠΙ ΑΡΧ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΔΑΡΔΑΝΙΩΝ. *Sub Archonte Philippo Dardaniorum*. Vir cum haſta & patera, taurum ad aram ante columnam, ſupra quam Aquila, mactaturus.



DArdanus (*h*) Urbs Troadis, a Dardano condita, (*i*) qui & regionem Dardaniam nominavit, quæ prius Teucris vocabatur, Dardanum ipſum Δάρδανον αὖ πρῶτον τέκετο νεφεληγερέτα Ζεύς, (*k*) *a Jove tempeſtatum auctore genitum* ferebat. Hinc ſacra Jovi hoc in nummo exhibet, & quidem ob Severi victorias: *Jovi* (*l*) *enim de tauro non immolabatur, niſi cum triumphi nomine*. Ad-

(h) Stephan. de Urb.
(i) Mnaſeas.
(k) Iliad. γ. v. 215.
(l) Serv. in v. 627. IX. Æne.

ſiſtit autem ſacrificio Jovis miniſtra ales, Aquila ſcilicet, quæ paullo ante infortunium Nigro (a), & Severo victoriam portendere viſa eſt: in ſigno enim militari exercitus Nigri conſedit, ibique, licet abigeretur, conſtitit, quouſque capta eſt.

(a) Dio apud Xiphilinum Libro LXXIIII. p.842. C.

Num. III.

.ΤΡΑΤΗ. ΖΩΣΙΜΟΥ ΔΟΜΝΟΥ ΤΕΡΕΤΑΠΕΩΝ. *Prætore Zoſimo Domno Hyeretapenſium*. Hercules ſtans.


Ullibi, quod ego ſciam, occurrit ΤΕΡΕΤΑΠΕΩΝ urbs, at occurrit in Notitia Eccleſiaſtica (b) Κερετάπα, *Ceretapa* urbs, & in Phrygia Pacatiana conlocatur: ejuſdem meminit etiam Philoſtorgius (c); & Concilio Epheſino (d) ſubſcripſiſſe legitur Epiſcopus, τῆς κατὰ Κερατάπων Ἐκκλησίας, *Ceratapenſis Eccleſiæ*; Καιρετάπων Φρυγίας, (e) & *Phrygiæ* tribuitur. Nummos Ceratapenſium habemus (f) in Pio, Marco, & Commodo: & heic eſt Hercules, cui νεὼν ὑπερμεγέθη ᾠκοδομήσατο, (g) *Templum maximum fecit* Severus.

(b) Pag. 27.
(c) Lib. IX. Hiſt. Eccleſ. c. 18.
(d) Act. VI. Tom. III. Concil.
(e) In eod. Conc. Act. I. in princ.
(f) Apud Vaill. in Græc. & Hard. in num. Popp.
(g) Dio Libro LXXVI. p.869. B.

Num. IIII.

ΑΥ. ΚΑΙ. Λ. ΣΕΠΤΙ. ΣΕΟΥΗΡΟΣ Π. *Imperator Cæſar Lucius Septimius Severus Pertinax*, capite laureato.

ΕΦΕΣΙΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Epheſiorum bis Neocororum*. Severus eques militem proterens haſtamque vibrans.


Nfinita multorum (h) cæde crudelior Severus eſt habitus, fuitque delendarum cupidus factionum, prope a nullo congreſſu niſi victor digreſſus; hinc hoſtem proterens haſtamque vibrans exhibetur in hoc nummo. Ab eo victus eſt Albinus, (i) ejuſq; corpore adlato, pæne ſeminecis caput abſcindi juſſit, Romamque deferri, idque litteris proſecutus eſt: reliquum autem cadaver ejus ante domum propriam exponi ac dividi juſſit. *Equum præterea ipſe reſidens ſupra cadaver Albini egit, expaveſcentemque admonuit, ut effrenatus audacter protereret*. Quo forte ſpectat typus hujus nummi. Vicerat antea Nigrum, compreſſeratque Arabas & Adiabenos, Byzantios vero pæne omnes deleverat.

(h) Spartian in vit. c. 17.
(i) Id. c. 11.


TAB.

T A B. XXXV.

Num. I.

ΑΥΤ. ΚΑ. ΣΕΠ. ΣΕΥΗΡΟΣ Π. *Imperator Cæſar Septimius Severus Pertinax*, capite laureato.

ΕΠΙ ΣΤΡ. ΚΛ. ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΟΥΣ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Sub Prætore Claudio Ariſtophane Smyrnæorum*. Duæ Nemeſes ſtantes, quarum una cum patera & menſura, alia cum freno dextram humero oriq; admovet: ad pedes gryphus & rota.


Dnotavimus (*a*), Nemeſes magno apud Smyrnæos in honore habitas; heic vero alteram ex illis cum patera in dextra, quaſi nempe ſacra pro Severo factu-ram, alteram admoventem humero oriq; dextram videmus. Itaq; *Romani profecturi ad bellum Nemeſi ſacrificabant, & munus gladiatorium edebant*; quod non ſine ratione factum arbitratur Pomponius Lætus (*b*). Nam *Virgo*, ait, *& Victrix Nemeſis numen fuit* (*c*), quo, qui ex malefactis delinquebant, puniebantur: unde victores *Nemeſim* non fruſtra invocabant. *Ejus pedibus ſupponitur rota*, (*d*) *quum citiſſime diſcurrat*. Altera vero Nemeſum dextram humero oriq; admovet, ut a multo pravoq; ſermone prohibeat, cujus rei index frenum, tum ut propitiam Severo ſe monſtret: nam *adlevata* (*e*) *ac ſpectante humerum manu paullum inclinatus* index *adfirmat*.

(a) In Com. ad nu. 3. Tab. XXI.
(b) De Triumph. & Ovatione in Comp. Rom. Hiſt. poſt vit. Dioclet.
(c) Idem ibid. de Nemeſi Dea.
(d) Ibid.
(e) Quinct. Inſt. orat. Lib. II.

Num. II.

ΑΥΤ. ΚΑΙ. Λ. ΣΕΠ. ΣΕΟΥΗΡΟΣ ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ *Imperator Cæſar Lucius Septimius Severus, Cæſar Marcus Aurelius Antoninus*, laureati.

ΣΑΜΙΩΝ. *Samiorum*. Severus eques militem proterens.


Uum contra Albinum proficiſceretur Severus, apud Viminacium *filium ſuum majorem Baſſianum*, (*f*) *adpoſito Aurelii Antonini nomine, Cæſarem appellavit*. Ubi vero Romam victo Albino venit, eumdem *Cæſarem Baſſianum filium ſuum Antoninum a Senatu appellari juſſit, decretis imperatoriis inſignibus*, inter quæ laurea, cum

(f) Spartian. in Sev. c. 10.

qua hoc in numiſmate comparet. Typus vero partis averſæ, quem de proſtratis a Severo hoſtibus, Albino præſertim tum etiam Nigro aliiſq; (a) expoſuimus, referri etiam poteſt ad ſomnium illud, quod Severo ſpem imperii maximam, antequam conſequeretur, conciliavit. (b) Accito enim ad imperium Pertinace, viſus eſt Severo per ſomnium equus Imperatorem ipſum vehens, in foro illum excuſſiſſe, proximeq; adſtanti Severo tergum ſubſtraſſe, eumque pertuliſſe ſublimem tuto in forum medium, conſpicuum venerabundæ multitudini. Cujus imago ſomnii, ingens ex ære conflata eſt eodem ipſo in loco.

(a) In Com. ad num. 4. Tab. ſuper.

(b) Herodian. Lib. II. c. 9.

Num. III.

Λ. ΣΕ. ΓΕΤΑΣ Κ. ΑΥΤ. Κ. Μ. Α. ΑΝΤΩΝΕΙΝ. ΑΥ. Κ. Λ. ΣΕ-ΣΕΟΥΗΡΟΣ. *Lucius Septimius Geta Cæſar, Imperator Cæſar Marcus Aurelius Antoninus, Imperator Cæſar Lucius Septimius Severus*, togati ac laureati ſedentes, dextramque protendentes.

ΠΡΩΤΑ ΚΟΙΝΑ ΑΣΙΑΣ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΕΠΙ ΣΤΡΑ. ΚΛ. ΡΟΥ-ΦΙΝΟΥ ΣΟΦΙ. *Prima Communia Aſiæ* Certamina *Smyrnæorum ſub Prætore Cl. Rufino Sophiſta*. Corona querna.



Indicandi Barſemii Atrenorum Regis prætextu, quia Nigri partes foverat, exercitum in Orientem eduxit Severus. Æſtate igitur (c) jam exeunte Parthiam ingreſſus, Cteſiphontem pulſo Rege pervenit, & cepit hiemali prope tempore, & Parthicum nomen meruit. *Ob hoc etiam filium ejus Baſſianum Antoninum; qui Cæſar appellatus jam fuerat, participem imperii dixerunt milites: Getam quoque minorem filium Cæſarem dixerunt*. Rebus itaque in Oriente proſpere geſtis, revertentem inde Romam Severum, & filios jam puberes ſecum adducentem læti excepere Smyrnæi, ac *primis* iiſque *communibus Aſiæ* certaminibus, propoſita victoribus corona querna, ut ex nummo diſcimus, curante *Prætore* ac *Sophiſta Rufino*, Imperatores ipſos lætificarunt. Quod de more factum eſt; unde & ipſe Severus Romam perveniens, ne dum triumphans invectus eſt, verum etiam feſtos dies ac ſacrificia atque ſpectacula celebrataſque indulſit; magno etiam dato congiario, θέας τελέσας ἐπινικίους, (d) *ludos pro victoria celebravit*.

(c) Spartian. in Vit. c. 16.

(d) Herod. Lib. III. c. 10.

TAB.

T A B. XXXVI.

Num. I.

ΑΥΤ. ΚΑ. ΣΕΠ. ΣΕΟΥΗΡΟΣ Π. *Imperator Cæsar Septimius Severus Pertinax*, capite laureato.

ΕΠΙ. ΣΤΡΑ. ΚΛ. ΡΟΥΦΙΝΟΥ ΣΟΦΙ. ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Sub Prætore Claudio Rufino Sophiſta Smyrnæorum*. Mater magna turrita ſedens cum patera & tympano, ad pedes Leo.



Atrem magnam a Smyrnæis cultam præter nummos teſtis eſt etiam Strabo, (*a*) ac Plinius, (*b*) ubi ejuſdem apud illos templi uterque meminit. Rufinus autem, qui hunc ac ſuperiorem nummum cudi curavit, Smyrnæorum Præturam, quum ab ea immunis, utpote ſophiſta, eſſet, nonniſi volens libenſque ſuſcepit. Nam Severus & Antoninus, quibus ipſe Rufinus nummos dedicavit, Smyrnenſibus ſcripſere, (*c*) quod, ſi *Claudius Rufinus Civis eorum*, qui ob ſtudium, quod ei inerat erga eruditionem & vitam in dicendo adſiduam, illa, quæ ſecundum ſuperiorum Imperatorum conſtitutiones ſophiſtis promulgata erat, vacatione a publicis officiis fruebatur, ob amorem erga Patriam, Smyrnæis ipſis ſponte ex neceſſitate vocantibus, *Præfecturam* ſubiiſſet, ei in aliis ceſſationem a rebus agendis inturbatam manere juſtiſſimum eſſet: indignum enim eſſe, hominis erga ipſos ſtudium ei fieri in damnum, præſertim quum ipſi pro eo petiſſent hanc gratiam.

(a) Lib. XIIII. p. 646.

(b) Lib. XIIII. c. 4.

(c) Marm. Oxon. in append. p. 303.

Num. II.

ΕΦΕΣΙΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Epheſiorum bis Neocororum*. Templum cum Diana multimammia.



E hac Dianæ effigie Paullam & Euſtochium ita edocet D. Hieronymus proëmio in Epiſtolam D. Paulli ad Epheſios. *Scribebat* Apoſtolus *ad Epheſios, Dianam colentes, non hanc venatricem, quæ arcum tenet, atque ſuccinta eſt, ſed illam multimammiam, quam Græci* Πολυμαςόν *vocant, ut ſcilicet ex ipſa quoque effigie mentirentur, omnium eam animantium eſſe nutricem.*

Num.

Num. III.

ΕΠΙ ΚΡΙΣΠΟΥ ΑΡΧ. ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Sub Crispo Archonte Sardianorum bis Neocororum*. Duo Templa, duæque coronæ.



CUdit hunc nummum, dedicavitque Severo *Sardis*, (*a*) Urbs Lydiæ magna, post Trojana quidem tempora condita, satis tamen antiqua, arcem habens probe munitam, & Regia quondam Lydorum, Metropolis (*b*) dicta etiam, postquam in Romanorum devenit potestatem, ac centumvirali (*c*) judicio in Lydos insignita. Habebat quoque Templa Asiæ communia, ibique statis temporibus solemnia celebrabantur. Hinc legimus, (*d*) Bonnatum quemdam ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ ΝΑΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΛΥΔΙΑ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ, *Pontificem* fuisse *Templorum Asiæ, quæ in Lydia apud Sardianos erant*: quæque forte hoc in nummo exhibentur. Initiales tamen litteras ΑΡΧ., quæ in eodem nummo aliisq; Sardianorum passim habentur, Ἄρχοντα, *Archontem* interpretamur, non vero Ἀρχιερέα, *Pontificem*, præter alia ita monente Caracallæ nummo, qui distincte præfert (*e*) *Cajum Sallium Claudianum* ΑΡΧΟΝ. *Archontem iterum Sardianorum bis Neocororum*.

(a) Strab. Lib. XIII. p. 625.

(b) Plutarch. in Quæst. Rom. pag. 277.

(c) Philostr. in Dionys. Lib. 1. de Vit. Sophist. nu. XXII.

(d) In Miscell. Sponii p. 356.

(e) Num. Thes. Reg. Gall. apud Vaill. in Græc.



TAB.

T A B. XXXVII.

Num. I.

JULIA PIA SEVERI UXOR.

IVLIA PIA FELIX AVG*usta*. Caput ejusdem. S. P. Q. R. IVLIAE AVGVST. *Senatus Populusque Romanus Juliæ Augustæ*. Thensa a duabus mulis vecta.




Ugdunensem Provinciam Legatus acceperat Severus, quum amissa uxore Martia, aliam ducere volens, genituras sponsarum requirebat, ipse quoq; matheseos peritissimus, inquit Spartianus (*a*): & , quum audisset esse in Syria (a) In Vit. c. 3. quamdam, quæ id genituræ haberet, ut Regi jungeretur, *eamdem uxorem petiit, Juliam scilicet, & accepit interventu amicorum: ex qua statim Pater factus est*. Juliam apud ipsum jam Imperatorem (*b*) sæpe calumniatus est Plautianus; (b) Dio Cass. Lib. LXXV. p. 853. A. hinc illa philosophari cœpit, & Professoribus aliquid temporis tribuere. Subdit Spartianus (*c*), Severum domi minus cau- (c) Cap. 18. tum habitum esse, *quod uxorem Juliam famosam adulteriis tenuit, etiam conjurationis consciam*. Post mortem Severi justa & utilia monuisse Juliam auctor est Dio Cassius (*d*), curamq; (d) Lib. LXXVI. p. 878. A. B. ei libellorum atq; epistolarum utriusq; generis, præter admodum necessarias ab Antonino filio commissam fuisse. Post cujus mortem Julia sibi a Macrino, qui imperabat, quemq; conviciis rebusque novis offenderat, timens, inedia sese confecit. Quæ quum ita habuerint, nequaquam *Pia*, ut tamen audiit, exstitit Julia: neque etiam *Thensa*, *qua exuviæ* (*e*) (e) Fest. in verb. Thensa. *Deorum ludicris Circensibus in Circum ad pulvinar vehebantur*, ei decuit. Sed nec *Felix* fuit, nam præter ea, quæ vivo marito passa est, vitam Antonini filii pessimam, necemque Getæ alterius filii videre, nec tamen lamentari vel lugere potuit: ἀλλ' ἠναγκάζετο ὡς δὲ ἐν μεγάλῃ τινὶ εὐτυχίᾳ οὖσα, χαίρειν καὶ γελᾶν· (*f*) *sed quasi foret in magna felicitate lætari, ac ridere coacta* (f) Dio Cass. Lib. LXXVII. p. 872. A. *est*. Quapropter *infelix* potius, quam *felix* dici debuit.

Num. II.

ΙΟΥΛΙΑΝ ΔΟΜΝΑΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝ. *Juliam Domnam Augustam*. Caput ejuſdem.

ΑΔΡ. ΣΕΥΗΡΙΑΝΗ ΤΑΡΣΟΣ Η ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ Γ. Β. *Hadriana Severiana Tarſus Metropolis, Decreto Senatus*. Mulier turrita, cippo, in quo inſculptus gryphus, inſidens, dextra ramum tenet dependentibus fructibus, coram exultante in aquis figura virili.



Dſciverat Tarſus a Julio Cæſare *Juliopolis* (*a*) cognomen; hinc ſe *Hadrianam* ab Hadriano, & *Commodianam* a Commodo Imperatoribus dixerat: heic autem *Severiana* in gratiam Severi, Juliæ mariti, inſcribitur. Populoſa erat ac præpotens Urbs ipſa Tarſus, (*b*) τὸν τῆς Μητροπόλεως ἐπέχουσα λόγον, & *Metropolis rationem habebat*: adeoq; ſub gravi nobilique figura heic illa repræſentatur, *muralique* (*c*) *corona* caput ornatur. Geſtat autem in manibus ramum fructibus gravem: nam, quum prius fructus corrumperentur, quando eorum elangueſcebat vigor, Tarſenſes primi conlectos ſiccaverunt, ad hiemem in alimentum ſepoſitos: unde & Tarſum cognomen habuiſſe, Eratoſthenes eſt auctor. Cippus vero, cui figura Urbis heic inſidet, grypho Appollini ſacro inſignitus eſt: quod Apollo *Muſarum Dux* (*d*) atque *Cuſtos* habebatur; & Tarſenſibus rerum philoſophicarum & diſciplinarum omnium, tantum inceſſerat ſtudium, ut Athenas, & Alexandriam, &, ſi quis alius locus, ubi Philoſophiæ & humaniorum artium ſcholæ erant, ſuperarent. Juliæ etiam, cui nummum dedicarunt, morem geſſerunt Tarſenſes; *nam & ipſa philoſophabatur*, (*e*) ἡ μὲν ἐφιλοσόφει. Figura autem virilis immerſa exultanſque in aquis, Cydnum amnem ſignificat; *quo* (*f*) *exultabat Tarſus*. Mediam namque Tarſum perfluebat (*g*) ad ipſum adoleſcentum gymnaſium, utpote ſcatebris non procul diſſitis, & alveo profundam convallem permeante, indeque ſtatim in urbem fluvio incidente.

(a) Vid. Com. ad num. 4. Tab. XXX.

(b) Strab. Lib. XIIII. p. 674.

(c) Lucret. Lib. II. de Nat. Rer. v. 608. vid. Com. in num. 1. Tab. XIX.

(d) Phurn. de Nat. Deorum & Fulg. Lib. I. Mythol.

(e) Dio Caſs. Lib. LXXV. p. 858. A.

(f) Ammian. Lib. XIIII. c. 25.

(g) Strab. Lib. XIIII. p. 673.

Num.

Num. III.

ΙΟΥΛΙΑ ΔΟΜΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ, *Julia Domna Augusta*. Caput ejuſdem.

ΕΠΙ ΣΤΡ. ΑΥΡ. ΔΟΡΙΛ. ΒΑΛ. ΑΡΙΣΤΟΜΑΧΟΥ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. *Sub Prætore Aurelio Doril... Val... Ariſtomacho Mytilenæorum*. Antoninus & Geta fratres laureati atque paludati ſtantes altera manu haſtam tenent, alteram ſuper aram ignitam jungunt.

Ortuo Severo, Antoninus & Geta filii, Romam e Britannia reverſi diſcordias quotidie & ſimultates exercere cœperunt (*a*), inſidiari inter ſe, moliri, parare omnibus modis, atque ea modo uterque in animo habere, quibus alter dolo caperetur; poſtremo quacumque via graſſari ad ſingulare imperium, ac nihil invicem prætermittere, dum conſortem poteſtatis expungerent. Diſcordantes autem hoc modo Fratres redigere in gratiam quotidie mater Julia ſtudebat. Θύει τε γὰρ ὑπὲρ τῆς ὁμονοίας αὐτῶν τοῖς τε ἄλλοις Θεοῖς καὶ αὐτῇ ὁμονοίᾳ, ψηφισθὲν ὑπὸ τῆς Βουλῆς. (*b*) *Decretum eſt etiam a Senatu, ut pro concordia utriuſque ſacrificaretur Diis, ac præſertim ipſi Concordiæ*. Aram itaque accendit Lesbi *libera Mytilene* (*c*), *annis* jam tum ætate Plinii M. D. *potens*, fratreſque Imperatores dextras in concordiæ, quæ tamen ſecuta non eſt, ſignum jungentes, repræſentavit.

(a) Herodian. Lib. IIII. c. 3.

(b) Dio Caſs. Lib. LXXVII. p. 871. B.

(c) Plin. Lib. V. c. 31.



TAB. XXXVIII.

Num. I.

ANTONINUS ET GETA SEVERI FILII.

ΑΥΤ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ ΚΑΙ. ΣΕ. ΓΕΤΑΣ. *Imperator Marcus Aurelius Antoninus*, *Cæſar Septimius Geta*. Caput utriuſque laureatum.

. . . . ΛΕΟΝΤΙΝΩΝ ΑΡΧ. ΕΤ. ΦΙΑΝΤΙΚΟΥΣ . . . . *Leontinorum Archonte Eugenio Phiantico*. Vir inter arbores, ac mulier turrita cum haſta pura in ſiniſtra ac prora navis & avi ad pedes.



Rbis agrique Leontinorum Siciliæ figuras heic habemus. Mulier itaque turrita, & cum prora navis ad pedes urbem denotat, vir inter arbores agrum. Per mediam urbem plana quædam porrigebatur convallis; *(a)* utrumq; hujus convallis latus colles prætexebant continuis præcipitiis aſperi: at, quæ ſuper collium horum ſupercilia erat planities, domibus Templiſq; erat referta. Præruptam rupem alterius collis, eam nempe, quæ ad occaſum ſpectabat, amnis præterlabebatur Liſſus. Sub ima rupe continua ſeries extendebatur domorum multarum, quæ pari intervallo omnes a fluvio diſtabant. Turrita itaq; ad modum Rheæ (*b*) apparet urbis figura in nummo, quod eſſet in montibus ædificata. Adeſt vero prora navis; nam, præterquam quod urbi ſuberat Liſſus, εἰς τοὺς Λεοντίνους ἦν κατὰ Τηρίαν ποταμὸν ἀνάπλους μ′ σταδίων (*c*), *ad* ipſos *Leontinos per Teriam flumen ſurſum navigabatur* XL. *ſtadia*. Vir autem inter arbores ſtans agri Leontini fertilitatem denotat indeque avium multitudinem. Campus namque Leontinus *caput rei frumentariæ* (*d*) dicitur a Cicerone: & in Sicilia, in qua campus erat Leontinus, Cererem ac Proſerpinam (*e*) omnium prima ſeſe oſtendiſſe, primaſque ob ſoli bonitatem illic fruges proveniſſe, dicebant. Quod clariſſimus quoque Poëtarum, Homerus ſcilicet, quem laudat Diodorus Siculus (*f*), ſuo teſtimonio ita confirmat:

(a) Polyb. init. Lib. VII. Hiſt.

(b) Phurnut. de Rhea. vid. Com. in num. I. Tab. XXI.

(c) Scyl. Caryand. in Peripl. Sicil. pag. 9. ex emend. Cluverii.

(d) III. in Verr. c. 18.

(e) Diod. Sic. Lib. V. Bibl. Hiſtor. p. 199.

(f) Ibid.

Α'λλὰ

Α᾽λλὰ τάγ᾽ ἄσπαρτα ϗ ἀνήροτα πάντα φύονται,
Πυροὶ ϗ κριθαὶ, ἠδ᾽ ἄμπελοι, αἵ τε φέρουσιν
Οἶνον ἐριςάφυλον, καί σφιν Διὸς ὄμβρος ἀέξει.

Absque satu heic crescunt & vomeris omnia sulco,
Hordeum & alticomum triticum vitesque parentes
Uvarum & vini; quæ Juppiter imbribus auget.

In *Leontino* enim agro aliisq; Siciliæ locis pluribus triticum, quod agreste vocant, nasci solitum etiam suo tempore, testatur Diodorus.

Num. II.

ΑΥΤΟ ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡΗ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus*, capite laureato.

ΕΠΙ ΣΤΡ. ΚΛΑΥΔΙΑΝΟΥ ΤΕΡΠΑΝΔΡΟΥ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Sub Prætore Claudiano Terpandro Pergamenorum bis Neocororum*. Mulier tutulata stans cum patera in dextra & cornucopiæ in sinistra, coronatur a Victoria palmam gerente.



ADlatum in Asiam occisi ab Antonino Getæ nuntium tum temporis videtur, quum hoc numisma cælaret artifex; vultum etenim Getæ, cui locum reliquerat, omisit, aut etiam abrasit. Quippe audierat, *occisos fuisse innumeros (a), qui Getæ partibus favebant, occisos etiam libertos, qui Getæ administraverant*, &, quum flentem matrem Getæ vidisset Antoninus (*b*) aliasque mulieres, post necem fratris, ipsas occidere conatum esse. In parte vero nummi postica Genium Pergami a victoria coronatum exhibuit, imposuitque dextræ pateram, ut Pergamenorum erga Deos cultum, sacraque pro Antonini salute peracta exprimeret: cornucopiæ vero addidit, ut rerum abundantiam significaret: tutulo demum caput ornavit, ut urbis arcem exprimeret: tutulus enim (*c*) altissima pars in urbe dicitur: accedenti autem Pergamum *statim in oculos (d) arx præcipuæ magnitudinis incurrebat, longe ab omni introitu refulgens, velut communis quidam totius gentis vertex.*

(a) Spartian. in Anton. c. 4.

(b) Id. c. 3.

(c) Varr. Lib. VI. de L. L.

(d) Aristid. orat. de Concord. ad Asiat. Civit. pag. 519. al. 303.

Num. III.

ΑΥΤΟ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Antoninus*, capite laureato.

ΕΠΙ ΣΤΡ..... ΑΦΙΑΝΟΥ ΑΡ..... ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ... ΣΤΡΑΤΩΝΙΚΕΩΝ. *Sub Prætore Aphiano Ar. . . . . . Hadrianopolitarum . . . . Stratonicenſium*. Bacchus ſtans cum Pane & Baccha.



Omparet heic Antoninus truci fronte : corpore enim Alexandri Macedonis Alexandriæ conſpecto, (*a*) Magnum atq; Alexandrum ſe juſſit appellari, adſentantium fallaciis eo perductus, ut *truci fronte* & ad lævum humerum converſa cervice, quod in ore Alexandri notaverat, incedens, fidem vultus ſimillimi perſuaderet ſibi. Morem itaque gerentes Hadrianopolitæ Stratonicenſes, eo modo, quo incedebat, repræſentarunt Antoninum. Porro Stratonicea ab Hadriano inſtaurata, Ἀδριανούπολις, *Hadrianopolis* teſte præter nummos Stephano eſt vocata. Στρατονίκεια πόλις Μακεδόνων ἐν Καρίᾳ κέκληται δὲ ἀπὸ Στρατονίκης τῆς Ἀντιόχου γυναικός (*b*). *Ipſa Stratonicea urbs fuit Macedonum in Caria ſic vocata a Stratonice Antiochi uxore*. Ad Cariam autem pertingebat regio Catacecaumene (*c*), i. e. combuſta, arboribus quidem ceteris carens, at vite conſita, quæ vinum gignebat nullo vinorum nobilium inferius. Hinc Bacchus in nummo: egreſſus quippe Niſa, Stratoniceæ proxima, primum in Phrygia digraſſans, totam illam regionem exuſſiſſe ferebatur (*d*), quæ combuſta inde Phrygia nominata eſt. At melius (*e*) quidam facete jocantes convenienter ajebant, Bacchum ignigenam dici, argumento ex his locis ducto. Potentem vero facultatem (*f*) Bacchi tum ferulæ pro haſtis ſumptæ, tum hinnulea pellis pro leonina, tum etiam ſcyphus pro clypeo demonſtrant. Tamquam perinde habeatur pugna Baccho ac potatio, nec multum diſtet certamen a triumpho. Jam vero Bacchæ equitum ac ſagittariorum loco ipſum præcedentes, & reliquo, de quo modo dicebamus, ornatui conveniunt, & ſignificant, muliebrem etiam exercitum in Bacchi expeditione cum virili procedere, & eſſe hoc in Bacchi poteſtate, ut non tam viros effeminet; quam feminas in virorum acie conlocet.

(a) Victor jun.

(b) Stephan. de Urbib.

(c) Strab. Lib. XIII. p. 628.

(d) Diod. Sic. Lib. III. Bibl. Hiſt. p. 142.

(e) Strab. ibid.

(f) Ariſtid. orat. in Bacch. Tom. I. pag. 30. alias 53. & 54.

conlocet. Διδόασι δ᾽αὐτῷ ἐ τὸν Πᾶνα χορευτὴν τελεώτατον Θεῶν ὄντα. *Quin etiam Panem illi saltatorem tribuunt perfectissimum Deorum,* inquit Pindarus. Fuerunt etiam *Hadrianopolitæ* a Stratonicensibus distincti, nempe in Thracia inter montes *Hæmon (a) & Rhodopen Sacris Liberi Patris .... celebratos*: ad quos proinde Hadrianopolitas concordia & religione erga Bacchum conjunctos cum Stratonicensibus, nummum hunc referre quis forte velit. (a) Mela Lib. II. c. 2.

T A B. XXXIX.

Num. I.

ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ. *Alabandensium.* Diana multimammia cum verubus in manibus & flore in capite, alia vero mulier cum delphino in dextra, & flore seu gemma in sinistra, pone prora ratis & malleus,



Dianæ Ephesiæ, quæ cum multis mammis & verubus heic & alibi (*b*) conspicitur, cultum adscivisse Alabandenses, testis est hic nummus. Mulier vero, quæ coram Diana stat, Alabandam significat. Ἀλάβανδα πόλις Καρίας (*c*), *Alabanda* itaq; urbs erat *Cariæ*, eaq; fortunatissima, unde parœmia, Ἀλάβανδα Καρῶν εὐτυχεστάτη, *Alabanda Carum fortunatissima*. Condita vero a Care est, cujus a filio sic est appellata, quem ille ex Callirhoë τῆς Μαιάνδρου, *Mæandri filia* genuit, post equestram victoriam, Alabandumque cognominavit, qui Carum lingua equestri certamine victor dicitur. Ἄλα μὲν τὸν ἵππον, βάνδα δὲ τὴν νίκην καλοῦσιν. (*d*) *Cares enim Ala vocant equum, banda vero victoriam*. Delphinum itaque & ratem ostentat mulier in signum Mæandri fluminis Cariæ provinciæ: florem etiam seu gemmam gestat, quod de carbunculis *Alabandicis* (*e*) *in Orthosia caute nascentibus, sed qui perficiantur Alabandis*, intelligi potest: unde & pone malleus, quo ex caute, duro sc. & aspero saxo excutiantur. Felix itaq; quum esset tum solo tum aliis rebus Alabanda, Dianam seu Isidem colebat: *quæ (f) est vel terra vel natura rerum subjacens soli: hinc est, quod continuatis uberibus corpus Deæ omne densetur, quia terræ vel rerum naturæ altu nutritur universitas*.

(b) Vid. Tab. XXIII. 2. & XXXVI. 2.
(c) Stephan. de Urbib.
(d) Hucusq. Stephan.
(e) Plin. Lib. XXXVII. c. 7.
(f) Macrob. Lib. I. Satur. cap. 20. in fine.

Num.

Num. II.

ΕΠΙ ΣΤΡ. Τ. ΑΛΕΖΑΝΔΡΟΥ .... *Sub Prætore Tito Alexandro* .... Tres mulieres, quarum media cum corona turrita in capite, duæ aliæ hinc & inde ſtantes, dextras, eaſque ſuper humeros intermediæ mulieris poſitas, ſimul jungunt.



Ullo litterarum, quæ urbem, ubi cuſus eſt hic nummus, indicare poſſint, veſtigio exiſtente, de ea quærere, aut hariolari ſupervacaneum eſt; optandumque, ut nummus magis integer occurrat, qui urbem hanc prodat, quæ Concordiam tanti fecit tantumque coluit, ut in nummis exhiberet, imitandamque proponeret. Illud primum cogitate, inquit ad Rhodios Ariſtides (*a*), de alia re quavis in utramque partem diſputari poſſe, verum de *Concordia* neminem unquam contendiſſe, quin ea eſſet maximum in civitatibus bonum: quumque de ipſis rebus publicis & earum inſtitutis ſinguli ſuam ſequantur ſententiam, illud omnes uno ore confitentur, nihil eſſe cuivis Reipublicæ generi magis contrarium, quam ſeditionem, nec quod rerum ſtatum potius corrumpat. Si ſingularium ædium una ſalus eſt concordia, hoc in urbibus multo magis evenit. Media itaque mulier, quæ in nummo conſpicitur, Rhea, ſeu Cybele, ſeu Mater Deum eſt, ſingulis enim hiſce nominibus aliiſque gaudebat, & Genium urbis heic repræſentat.

At (*b*) *cur turrifera caput eſt onerata corona?*
An primis turres urbibus illa dedit?

Annuit. Reliquæ duæ concordiam exprimunt, jungunt enim dextras, eaſque Rheæ humeris imponunt, quo urbis concordiam denotent: mos namque iis, qui in ſocietatem coëunt, (*c*) *implicare dextras*. Hinc apud Euripidem Medea (*d*)

Βοᾷ μὲν ὅρκους, ἀνακαλεῖ δὲ δεξίας
Πιςὶν μεγίςην ἐς Θεὰς μαρτύρεται.

Clamat jusjurandum, vocat & dexteras, fidem maximam, & Deos teſtatur.

(a) Pag. 558. al. 376., Tom. I.

(b) Ovid. Faſt. III. v. 219.

(c) Tacit. Annal. XII. c. 7.

(d) Mede. v. 21.

Num.

Num. III.

ΣΑΜΙΩΝ. *Samiorum*. Juno tutulata & cum fulcris, Nemesis vero dextram ori admovens.

Distat Samus *(a)* insula exiguo intervallo a continente, quæ Mycalen Joniæ spectat. Erat autem in ipsa insula Σάμου ἡ πόλις *(b)*, *Sami Urbs*, & ad lævam, qua intro navigabatur ad urbem, suburbium ad Heræum & Imbrasius fluvius, καὶ τὸ Ἡραῖον, ἀρχαῖον ἱερὸν καὶ νεὼς μέγας: *(c) atque Junonis antiquum Fanum magnumq; Templum*. Hinc legimus *(d)*, imperante Tiberio, *Samios Junonis delubro vetustum Asyli jus ut firmaretur, petiisse*. Et Juno passim in eorum nummis conspicitur: in hoc autem Nemesis etiam videtur, unde Samiorum erga hanc quoque cultus apparet.

(a) Thucyd. Lib. VIII. p. 599.
(b) Ptolem. Lib. V. c. 2.
(c) Strab. Lib. XIIII. p. 637.
(d) Apud. Tacit. Lib. IIII. An. c. 14

Num. IIII.

ΕΠΙ ΑΥΡ. ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Sub Aurelio Claudio Pergamenorum Neocororum*. Æsculapius & Hygia intermedio Telesphoro stantes.

Hygia *(e)* Æsculapii filia dicta est, eique cum parente cultus adhibitus: Telesphoro quoq; sive Evamerioni divini pariter honores habiti sunt: Evamerionem *Pergameni* ex quodam oraculo Telesphorum *(f)* nominabant. Alexanor autem, Machaone Æsculapii filio genitus, simulacrum ipsius Æsculapii in Titane, ubi erexerat ei Templum, eodem habitu dedicavit, quo heic Telesphorus conspicitur: Φαίνεται δὲ τοῦ ἀγάλματος πρόσωπον μόνον, καὶ ἄκρα, χεῖρες, καὶ πόδες· Χιτὼν γὰρ οἱ λευκὸς ἐρέους καὶ ἱμάτιον ἐπιβέβληται. *(g) Nam sola se facies, manus, & imi pedes ostendebant; partes ceteræ lanea tunica alba & pallio velabantur*. Quin eodem fere habitu erat ibidem etiam Hygiæ signum *(h)*; neque enim facile conspiciebatur, quippe quod velatum undecumque erat, partim comis, quas Deæ mulieres detonderant, partim Babyloniæ vestis laciniis. Cuicumque porro eorum quis sacrificaret, Hygiæ, i. e. Saluti litare intelligebatur. Scribit Aristides *(i)*, ἐν Ὑγιείας, οὗ ὁ Τελέσφορος, se *in Templo Hygiæ, ubi & Teles-*

(e) Pausan. Lib I. c. 23. p. 54.
(f) Id. Lib. II. c. 11. p. 137.
(g) Id. ibid.
(h) Id. ibid.
(i) Serm. Sacr. IIII. p. 324., al. 574.

Telesphorus colebatur, aliquando sedisse, sanitatis adquirendæ caussa. Antoninus quoque, cujus est hic nummus, *Pergamum versus* (*a*) *iter instituit*, *ut Æsculapii curationibus uteretur*. Æsculapius tamen (*b*) multis licet precibus & adsiduis pernoctationibus interpellatus, nequaquam eum adjuvit.

(a) Herodian. Lib. IIII. c. 8.

(b) Lib. Cass. apud Valesf. in excerp. p. 752.

Num. V.

ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΕΠ. Σ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ.
Smyrnæorum Concordia atque *Pergamenorum sub Prætore Appollonio*. Nemeses Smyrnæorum, intermedio Æsculapio Pergamenorum stantes.



CONtendentes inter sese de Asiæ Primatu Smyrnæos atque Pergamenos ad pacem hortari non destitit (*c*) Aristides. Concordia itaque secuta est, favente, ut ab eis creditum est, Æsculapio: cujus cultum quum Archias Aristæchmi filius Pergamum detulisset, ἀπὸ δὲ τοῦ Περγαμηνῶν Σμυρναίοις γέγονεν ἐφ' ἡμῶν Ἀσκλήπειον τὸ ἐπὶ θαλάσσῃ, (*d*) *acceptum a Pergamenis Smyrnæi templo consecrarunt ad mare*. Aristidis quoq; tempore, qui Marco imperante floruit, aliud Templum (*e*) Æsculapio ad exteriorem portum Smyrnæ ædificatum est: ibique inventum posteriori tempore legimus (*f*) marmor cum nomine *Caji Claudii Valerii Liciniani Sacerdotis Æsculapii*. At vero Pergami cultum longe majorem obtinuit Æsculapius, qui & hoc in nummo Pergamenos respicit, quum Nemeses ad Smyrnæos (*g*) pertineant: utraq; vero numina in testimonium fœderis, de more sunt adhibita.

Ἔστι δέ τις Νέμεσις μεγάλη θεός, ἣ τάδε πάντα
Πρὸς μακάρων ἔλαχε. (*h*)

Credebatur *porro Nemesis numen quoddam grave, cui cuncta dedissent sorte Superi*.

(c) Orat. de Concord. ad Asiatic. Civit.

(d) Pausan. Lib. II. c. 26. p. 172.

(e) Aristid. Sacr. serm. IIII. p. 345.

(f) Inter Marm. Oxon. XLVI. p. 105.

(g) Vid. Com. in nu. 3. Tab. XXI.

(h) Antimachus apud Strabonem Lib. XIII. non longe a principio

Num. VI.

ΕΠΙ ΣΤ. Κ.... ΤΟΥ ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Sub Prætore ...... Trallianorum*. Hercules clavæ leonis ſpolio tectæ innixus.

Rallis Urbs Lydiæ, civibus iiſque opulentis, optime frequentata (*a*), ut ulla Aſianarum urbium alia, nummum hunc cudi curavit, Herculemque in eo exhibuit, vel quod cultu eum præcipuo veneraretur, vel quod originem ad eum referret. Κτίσμα δὲ φασιν εἶναι τὰς Τράλλεις Ἀργείων καὶ τινων Θρακῶν, ἀφ' ὧν τοὔνομα. (*b*) *Conditam namque urbem ab Argivis & quibuſdam Thracibus fama ferebat, a quibus & nomen impoſitum*. Hercules autem & unus ex Argonautis fuit (*c*), &, quum aquandi cauſsa ab eis digreſſus eſſet, in Aſia relictus ab aliquibus perhibetur, unde & Trallim condidiſſe credi potuit.

(a) Strab. Lib. XIIII. p. 648.
(b) Id. ibid.
(c) Diodor. Sicul. Lib. IIII. Bibl. Hiſt. p. 170. C. & 172. D.

T A B. XL.

Num. I.

ΑΥΤΟΚΡΑ. ΚΑΙΣΑΡ Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ ΣΕΒ. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Antoninus Auguſtus*, capite laureato.

ΕΠΙ ΣΤΡ. ΚΟΡΝΗΛΙ. ΑΝΤΩΝ... ΘΥΑ... *Sub Prætore Cornelio Antonino Thyatirenorum*. Dindymene ſedens, dextra pateram, ſiniſtra Hermetem tenet.

Uperato, quod erat Pergamo verſus auſtrum, montoſo dorſo, in itinere verſus Sardes ad ſiniſtram urbs erat Thyatira (*d*), Macedonum Colonia, quam ultimam Myſorum fuiſſe, ſunt, qui dicant. Ἅπτεται δὲ τῆς Μυσίας ὁ Ἕρμος, ἐξ ὄρους ἱεροῦ τῆς Δινδυμήνης: (*e*) *Myſiam vero adtingebat Hermus e monte Dindymenæ ſacro prolabens*, & per Catacecaumenem in Sardianam ferebatur per continuos ad mare uſque campos. Quod ſi Hermus ab Hermete Mercurio nomen habuit, ſub hujus quoq; figura *quadrato* (*f*) *ſtatu, ſolo capite inſignitus* in manibus Matris Deum, quam ἀπὸ δὲ τοῦ τόπου Δινδυμήνην, (*g*) *a loco Dindymenem* appellabant, hoc in nummo repræſentatur.

(d) Strab. Lib. XIII. p. 625.
(e) Id. p. 626.
(f) Macrob. Lib. I. Satur. cap. 19.
(g) Strab. Libro X. p. 469.

Núm. II.

. . . . T. ΛΙΑΝΟ . . . . ΑΡΧ. Α. ΣΑΙΤΤΗΝΩΝ
. . . . *Archonte Primo Sættenorum*. Lunus ſtans inter duas figuras humi ſedentes cum arundine & urna.



SÆttenorum Aſiæ, quorum eſſe hunc nummum credimus, altum eſt apud Geographos ſilentium, adeoque lucem eis a ſolis nummis mutuari oportet. In primis itaque inter duo flumina poſitos illos fuiſſe, nummus noſter indicat; in eo enim Genius Urbis, qui ſub Dei Luni figura conſpicitur, ſtat inter duos viros eo habitu procumbentes, quo flumina denotari ſolent. Hæc autem flumina Hermum & Hyllum fuiſſe aliunde dignoſcimus: exhibet enim Harduinus (*a*) duos nummos, quorum alter inſcribitur ΣΑΙΤΤΗΝΩΝ ΕΡΜΟΣ, *Sættenorum Hermus*, alter ΣΑΙΤΤΗΝΩΝ ΥΛΛΟΣ *Sættenorum Hyllus*: uterque vero figuram viri procumbentis habet. Porro Hyllus non procul a Sardibus infundebatur Hermo: unde nec procul diſtaſſe Sættenos intelligimus. Campus itaq; ante urbem Sardianam jacebat magnus & nudus: διὰ δὲ αὐτοῦ ποταμοὶ ῥέοντες καὶ ἄλλοι καὶ Ὕλλος συῤῥήγνυσι ἐς τὸν μέγιστον, καλεόμενον δὲ Ἕρμον (*b*): *quem tum alii amnes perfluentes tum Hyllus, perrumpebant ſimul in omnium maximum, qui vocabatur Hermus*; quique e monte ſacro Matris Dindymenæ lapſus, infundebatur mari juxta Phocæam oppidum. Inſcriptio demum, quæ in nummo noſtro exeſa eſt, optime ſuppletur & inluſtratur ab alia. Exſtat in Gaza Gallorum Regia (*c*) nummus Gordiani cum Luni Dei effigie inter duo flumina, uti & noſter habet; ita vero inſcribitur: ΕΠ. ΑΙ. ΑΤΤΑΛΙΑΝΟΥ ΥΙΟΥ ΙΠΑΣΟΥ ΑΡΧ. Α. ΤΟ Β. ΣΑΙΤΤΗΝΩΝ: *Sub Ælio Attaliano, Filio Hipaſi, Archonte Primo iterum Sættenorum*. Ælius itaq; Attalianus, qui nummum hunc cudit Gordiano, quum Archontem Primum Sættenorum ſecunda vice ageret, is eſſe potuit, qui & nummum noſtrum, quum prima vice eumdem Magiſtratum apud Sættenos gereret, dedicavit: tempus enim, quemadmodum & ea, quæ ſuperſunt inſcriptionis in nummo, id admittunt. Antiſtites οἱ Σέττων in Notitiis Eccleſiaſticis (*d*) occurrunt, & Lydiæ aſſignantur.

(a) In nu. Popp. p. 147. oper. ſelect.

(b) Herodot. Lib. I. c. 80. p. 32.

(c) Vid. Hardu. in nu. Popp. oper. ſelect. p. 147.

(d) Pag. 13. & 45.

Num.

Num. III.

ΠΕΡΓ..... *Pergensium*, sive *Pergamenorum*. Mulier turrita sedens, dextra crumenam ostentat, sinistra cornucopiæ.

Inter duos Pamphyliæ validissimos fluvios, Cestrum & Cataracten, *Perga* (*a*) erat *Oppidum & Dianæ, quam ab oppido Pergæam vocabant, Templum*. In editiore nempe loco prope ipsam Pergam hoc Dianæ erat Templum; ἐν ᾧ πανήγυρις κατ' ἔτος συντελεῖται (*b*), *ad quod singulis annis sacer habebatur conventus*. Hinc Diana ipsa, sive urbis Genius ostentat in hoc nummo cornucopiæ atque crumenam; ubi enim (*c*) quamplurimæ hominum turbæ conveniunt, ibi plurimum etiam argentum necesse est confici, & locum illum verisimile est omnibus abundare. Potest & *Pergamenorum* esse nummus, & ad abundantiam & divitias, quas illis adferebat Æsculapii cultus & solum, referri potest.

(a) Mela Lib. I. c. 14.

(b) Strab. Lib. XIIII. p. 667.

(c) Dio Chryf. orat. in Celæn. Phryg. p. 434. A.

Num. IIII.

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Perinthiorum Neocororum*. Mulier turrita stans, & dextra pateram, sinistra cornucopiæ gerens.

Turritam, uti facta est, Perinthi figuram esse decebat: Ἡ γὰρ Πέρινθος κεῖται μὲν παρὰ θάλατταν ἐπί τινος αὐχένος ὑψηλοῦ: (*d*) *nam ad mare Perinthus sita erat in edito peninsulæ jugo, ad stadii longitudinem porrecto*. Ædes inter se confertas & altitudine conspicuas habebat; nam aliæ identidem alias pro acclivitate collis supereminebant, formaq; urbis quamdam theatri similitudinem referebat. Cornucopiæ vero eidem Perinthi figuræ additum est ad abundantiam ubertatemque significandam, maxime postquam Perintho Severus Pater Antonini, cujus est hic nummus, Byzantium fecit tributariam: urbem enim (*e*) omnemque regionem, quæ erat sub Byzantii potestate, Perinthiis adstribuit. Byzantii vero ἔχοντες γὰρ χώραν γενναιοτάτην, (*f*) *agrum habebant uberrimum*.

(d) Diod. Sicul. Lib. XVI. p. 549. 550.

(e) Dio apud Xiphilinum Libro LXXIIII. p. 847. C.

(f) Polyb. Lib. IIII. c. 45. p. 435.

Num. V.

ΕΠΙ ΣΤΡΑ......... *Sub Prætore* .... Æſculapius ſtans.



NUmmum hunc epigraphe deſtitutum, Æſculapio tamen inſignitum, Pergamum Aſiæ urbs poſcere ſibi videtur, quippe quæ præcipuo cultu Æſculapium ipſum venerabatur. Hinc Ariſtides ait *(a)*: Ἑςία γὰρ Ἀσκληπιȣ̃ τῆς Ἀσίας ἐνταῦθα ἱδρύνθη, κἀνταῦθα δὴ φρυκτοὶ φίλιοι, πᾶσιν ἀνθρώποις αἴρονται παρὰ τȣ̃ Θεȣ̃, καλȣ̃ντος τε ὡς αὐτὸν καὶ μάλα ἀληθινὸν φῶς ἀνίσχοντος. h. e. *Æſculapii ædes in hac eſt Aſiæ parte conlocata, atque heic amicæ faces omnibus a Deo ſuſpenduntur, qui eos ad ſe vocat, ac prorſus veram lucem extollit.*

(a) Orat. de Concord. ad Aſiatic. Civit. p. 520. al. 304.

T A B. XLI.

Num. I.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΣΕΟΥΗΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟΣ ΣΕΒ. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Severus Antoninus Auguſtus*, capite laureato, ac loricato pectore ornatoque Ægide, cum haſta ſupra humerum.

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Perinthiorum Neocororum*. Sarapis ad aram ſtans, cum modio in capite & menſura in ſiniſtra.



DIcitur heic Antoninus, mutuato a Patre cognomine, *Severus*: pectore vero loricato ornatoque Ægide & cum haſta ad modum Minervæ fingitur, quaſi virtute militari animoque forti polleret. Exhibetur autem in parte nummi poſtica Sarapis, quem *alii Jovem putant, (b) cujus capiti modius ſuperpoſitus, vel quia cum menſura modoq; cuncta indicet moderari, vel vitam mortalibus frugum largitate præberi*. Meminit ejus in Thracia fani Polybius *(c)*: idque adiiſſe ac frequentaſſe ſanitatis animi corporiſque adipiſcendæ cauſſa Antoninus videtur, quum *per (d) Thracias iter fecit*. At nec ipſe *Sarapis (e)*, quamvis multis ab eo precibus interpellatus eum juvit.

(b) Ruffin. in Hiſt. Lib. X. c. 22.

(c) Lib. IIII. Hiſt. c. 39. p. 428.

(d) Spartian. in Vit. c. 5.

(e) Dio Caſſ. in excerpt. Valeſ. p. 752.

Num.

Num. II.

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Perinthiorum Neocororum.* Antoninus in quadriga, cum ſceptro aquila ornato in ſiniſtra.



D quartum & ultimum Antonini Conſulatum, quem anno U. C. (*a*) DCCCCLXVI. cum D. Cælio Balbino ſuſcepit, nummum hunc referre placet: priores enim junior, quam heic apparet, iniit; nam & tertium viginti tantum annos natus adiit. Quominus vero ad triumphum, nummum ipſum referamus, ætas eadem obſtat: multo enim juniori *Senatus* (*b*) *Judaicum triumphum decrevit*; poſt quem nullum alium duxiſſe videtur. Præterea ſceptrum, aquila ornatum, geſtans exhibetur, qua de re Prudentius (*c*):

Quum Conſulatum initis,
Aquila ex eburna ſumit arrogantiam
Geſtator ejus, ac ſuperbit belluæ
Inflatus oſſe, cui figura eſt alitis.

Quarto autem Conſulatui omnia bene conveniunt, nam & ætate annorum XXVI. illum ſuſcepit, & ſtimulante (*d*) malorum facinorum conſcientia, vitamque peroſus urbanam, ſtatuit tum Roma ſecedere, ut & milites ordinaret, & provincias inviſeret. Igitur Italia decedens, ad ripas Danubii pervenit, ibiq; ordinatis militibus, κατῆλθε δὲ εἰς Θρᾴκην, (*e*) *in Thraciam deſcendit*. Quare Perinthum ejuſdem Provinciæ urbem celeberrimam tum adire potuit, proceſſumque aliquem conſularem in ea agere, aut ibi *deponere* (*f*) *annalem* Conſulatus *honorem, in ipſa depoſitione agens ſolemnem* de more ludorum *editionem*.

(a) Chr. 213.
(b) Spartian. in Sev. c. 16.
(c) In Rom. v. 145.
(d) Herod. Lib. IIII. c. 7.
(e) Id. c. 8.
(f) Vid. Novell. Juſtin. CV.

Num.

Num. III.

ΑΤΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. Σ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ ΣΕΒ. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Severus Antoninus Auguſtus*, laureatus.

ΚΟΙΝΟΝ ΘΡΑΚΩΝ ΑΛΕΞΑΝ. ΠΥΘΙΑ ΕΝ ΦΙΛΙΠΠΟΠ. *Commune Thracum Alexandrea Pythia Philippopoli*. Imperator eques hoſtem proterens.



Bi in Thraciam, Macedoniæ finitimam, deſcendit Antoninus, εὐθὺς δὲ Ἀλέξανδρος ἦν (a), *ſtatim alter Alexander evaſit*. Non ſolum itaque memoriam Regis ejus omnibus modis renovare ubique ſtuduit, ſed ipſe prodibat Macedonico habitu, ac lectiſſimam juvenum manum in exercitu phalangem Macedonicam appellavit, juſſis Ducibus, nomina ſibi ducum Alexandri imponere. Hinc *Commune Thracum* certamina *Alexandrea Pythia* (b) edidit *Philippopoli*, quam urbem *a Macedone Philippo* (c) Alexandri M. patre *ſitam* fama ferebat. Equitem quoq; ipſum Antoninum, velut Alexandrum Bucephalo inſidentem hoſteſq; terentem exhibuit.

(a) Herodian. Lib. IIII. c. 8.

(b) De Ludis Pythiis vid. Com. in num. 3. Tab. ſeq.

(c) Tacit. Annal. III. c. 38.

Num. IIII.

ΣΑΜΟΣΑΤΕΩΝ. *Samoſatenorum*. Mulier regio habitu ſedens in colle, infra Pegaſus.



Egio ornatu repræſentatur heic *Samoſata (d) Commageni quondam regni clariſſima ſedes*. Regia nempe fuit Antiochi, cui Pompejus Commagenem conceſſit, manſitque ſucceſſoribus uſque ad Tiberium, qui Provinciam fecit. Caligula (e) tamen alteri Antiocho Commagenem paternum regnum, adjectis Ciliciæ maritimis adtribuit: & Claudius (f) Commagenem ipſam, quam eidem Antiocho dederat ademeratque Cajus, reſtituit. Veſpaſianus autem *Commagenem (g) ditionis regiæ uſque ad id tempus, in Provinciarum formam redegit*. Regium tamen habitum in nummo retinet, ſedetq; in colle; nam *Commagena (h)* clementer adſurgebat Hierapoli, vetere Nino, & *Samoſata* civitatibus amplis, inluſtris. Ipſa Samoſata κεῖται παρὰ τὸν Εὐφράτην (i), *ſita erat ad Euphratem*, cujus index in nummo Pegaſus ἀπὸ τῶν πηγῶν (k), *a fontibus* ſic dictus.

(d) Ammian. Lib. XVIII. c. 9. Valeſ. 4.

(e) Dio Caſs. Lib. LIX. pag. 645. C.

(f) Id. Lib. LX. pag. 670. A.

(g) Suet. in Veſp. cap. 8.

(h) Ammian. Lib. XIIII. c. 26., Valeſ. 8.

(i) Joſeph Lib. VII. de Bell. c. 28.

(k) Phurnut. de Neptuno.

TAB.

T A B. XLII.

Num. I.

ΑΥΤΟΚΡΑΤ. Κ. ΜΑ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ. *Imperator Cæſar Marcus Antoninus*, capite laureato.

ΕΠ. ΣΤΡ. Μ. ΚΑΙΡΕΑ ΑΤΤΑΛΟΥ ΠΕΡΓΑ. ΠΡΩΤΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Sub Prætore Marco Cærea Attali* F. *Pergamenorum Primorum ter Neocororum*. Imperator togatus cum patera in dextra, ac codicillo in ſiniſtra, victimario taurum feriente, ſtat ante Templum, in quo forte Æſculapius ſedens, cum dracone in dextra & ſcipione in ſiniſtra.

Siæ Civitatem celeberrimam Pergamum adire cupiens Antoninus, ut Æſculapii curationibus uteretur, per Thracias (*a*) cum Præfecto Prætorii iter fecit. Ubi vero Pergamum advenit, ſomnia, quæ immittere Æſculapius ægris credebatur, quamdiu voluit, captavit. Frequentavit (*b*) Templum, quaſi præſentia ſua aliquid effecturus eſſet, omniaque ſedulo implevit, quæ religioſiſſimi Deorum cultores factitare ſolebant. Obtulit ſignatas preces & hoſtias & donaria, multique, qui hæc & ſimilia non ſolum Æſculapio ſed & aliis Diis offerrent, quotidie diſcurrebant. At neque Æſculapius neque alii Dii, quamvis multis precibus & adſiduis pernoctationibus ab eo interpellati quidquam ipſum juverunt. Ceterum *ſedet* hoc in nummo *Æſculapius*, κάθηται δὲ ἐπὶ θρόνου βακτηρίαν κρατῶν, τὴν δὲ ἑτέραν τῶν χειρῶν ὑπὲρ κεφαλῆς ἔχει τοῦ δράκοντος, (*c*) *ſcipionem tenens, premenſque altera manu draconis caput*; quomodo & Epidauri viſebatur, unde Ἀρχίας ὁ Ἀριστaίχμου τὸν θεὸν ἐπηγάγετο ἐς Πέργαμον, (*d*) *Archias Ariſtæchmi filius Dei religionem Pergamum adtulit*: Pergami autem ita crevit Æſculapii cultus, ut *Neocori* imperante Hadriano, *bis* imperante M. Aurelio, *ter*que *Neocori* imperante Caracalla Pergameni evaſerint. Quin *Primatum* Aſiæ, de quo cum Smyrnæis & Epheſiis diu contenderant, in Æſculapii honorem ab ipſo Caracalla, quum ſalutem poſceret ſperaretque, conſecuti videntur.

(a) Herodian. Lib. IIII. c. 8.

(b) Dio Caſſ. in excerpt. Val. p. 753.

(c) Pauſan. Lib. II. c. 27. p. 172.

(d) Id. ibid.

Num.

Num. II.

ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΤΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ. *Smyrnæorum Primorum , ter Neocororum Auguſtorum .* Tria Templa , in quorum medio Juppiter , in altero Roma, in alio vero Tiberius.

(a) Annal. Libro IIII. c. 15.

(b) Cap. 56.

(c) An. U.C. 558.

(d) Inter Marm. Oxon. in Append. nu. XV. p. 296.



NUmmo huic lucem adfundit Tacitus , (a) ubi de Templo, *quod decrevere Aſiæ urbes Tiberio Matrique ejus ac Senatui*, diſſerens, & undecim Urbes certaſſe pari ambitione , viribus diverſas referens , de Smyrnæis ſcribit. *At (b) Smyrnæi repetita vetuſtate, ſeu Tantalus Jove ortus* „ illos, ſive Theſeus divina & ipſe ſtirpe, ſive „una Amazonum condidiſſet, tranſcendere ad ea , queis maxi„me fidebant in populum Romanum officiis, miſsa navali co„pia non modo externa ad bella , ſed quæ in Italia toleraban„tur ; *ſeque primos Templum urbis Romæ ſtatuiſſe M. Porcio Coſ. (c). Ita rogati ſententiam Patres , Smyrnæos prætulerunt*. Hoc itaque in nummo Smyrnæi & Jovem , a quo Tantalus urbis conditor, ortus credebatur, & Templum urbis Romæ, quod primi ædificarunt, ac Templum, quod Tiberio Matrique ejus ac Senatui decreverunt Aſiæ urbes, ipſi vero ſtatuerunt , magna ambitione oſtentant , ſeque *ter Neocoros Auguſtorum*, h. e. eis devotos, cumulatoſque ſe ſacris privilegiis fatentur. *Primos* etiam ſe inſcribunt ; etenim , quum de primatu cum Epheſiis & Pergamenis contendiſſent, pulchritudinis magnitudiniſque primas tulerunt : unde & dicitur (d)

Η ΠΡΩΤΗ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ ΚΑΛΛΕΙ ΚΑΙ ΜΕΓΕΘΕΙ ΚΑΙ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗ ΚΑΙ ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ ΚΑΙ Γ ΝΕΩΚΟΡΟΣ ΤΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ ΚΑΤΑ ΤΑ ΔΟΓΜΑΤΑ ΤΗΣ ΙΕΡΩΤΑΤΗΣ ΣΥΝΚΛΗΤΟΥ ΚΑΙ ΚΟΣΜΟΣ ΤΗΣ ΙΩΝΙΑΣ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΟΛΙΣ

Prima Aſiæ pulchritudine & magnitudine , & ſplendidiſſima, & Metropolis , & ter Neocora Auguſtorum , ſecundum decreta ſacratiſſimi Senatus , & ornamentum Joniæ , Smyrnæorum Civitas.

Num.

Num. III.

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΑΚΤΙΑ ΠΥΘΙΑ. *Perinthiorum Neocororum Actia Pythia* certamina. Duo Templa duæque urnæ cum palmis.



AUguſtus poſt devictum apud Actium Antonium, Appollini, qui ibidem colebatur, Templum majus exſtruxit: *ἀγῶνά τε τινὰ ϗ μουσικὸν, ϗ γυμνικὸν, ἱπποδρομίας τε πενταετηρικὸν ἱερὸν κατέδειξεν, Ἄκτια αὐτὸν προσαγορεύσας:* (*a*) *Ludoſque muſicos, ac gymnicos, & certamen equeſtre cum ſacro quinquennali conſtituit, Actios ludos illos vocans.* Certamina vero Pythia inſtituta olim apud Delphos fuerant, quum Pythonem nocentiſſimum ſerpentem ibi necaſſe diceretur Apollo: qua de re Ovidius (*b*):

(a) Dio Caſs. in princ. Lib. LI. p. 442.

(b) Lib. I. Metam. v. 444.

Hunc Deus arcitenens
Perdidit effuſo per vulnera nigra veneno
Neve operis famam poſſit delere vetuſtas,
Inſtituit ſacros celebri certamine ludos,
Pythia perdomitæ ſerpentis nomine dictos.
Heic juvenum quicumque manu pedibuſve rotave
Vicerat, eſculeæ capiebat frondis honorem.
Nondum laurus erat.

Subſecutis temporibus palmæ pretium victoribus conſtitutæ, adeo ut etiam Romæ anno U. C. CCCCLXI. coronati primum ob res bello bene geſtas ludos Romanos ſpectaverint, (*c*) *palmæque tum primum tranſlato e Græcia more victoribus datæ* ſint. Lebetes quoque, quibus palmæ imponebantur, quique hoc in nummo conſpiciuntur, præmium victoribus (*d*) proponi conſueverunt. Contigit victoria Actiaca *τῇ δευτέρᾳ τοῦ σεπτεμβρίου* (*e*), *die ſecunda Septembris* anno U. C. DCCXXIII. ſic enim legitur in veteri Kalendario: (*f*) EO DIE IMP. CAES. DIVI F. AVGVSTVS APVD ACTIVM VICIT SE ET TITIO COS.

(c) Liv. Lib. X. in fine.

(d) Vid. Com. ad num. 2. Tab. LXVI.

(e) Dio Caſſ. in princ. Lib. LI.

(f) Tom. I. Theſ. Inſcrip. Murator. pag. CL. Tab. B.

Num. IIII.

ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ Ε. ΣΤΡ. ΓΕΜΙΝΟΥ. *Smyrnæorum & Pergamenorum Concordia sub Prætore Gemino.* Duo Templa.



Myrnæi ac Pergameni, poſtquam *Primorum* titulus, de quo contenderant, utriſque obtigit, *Concordiam*, quæ populos ejuſdem originis ac religionis decebat, renovare nequaquam diſtulerunt. Smyrna enim & Pergamum duæ erant urbes, ἄποικοι τῆς Ἀθηναίων πόλεως, (*a*) *Athenarum Coloniæ*: utræque etiam Æſculapium magna veneratione colebant. Contulit etiam ad ſtatuendam inter ipſos Concordiam Ariſtides, qui, ut eam conciliaret, verbis (*b*) & opera non defuit.

(a) Ariſtid. in orat. de Concord. ad Aſiat. Civit.

(b) Ead. orat. de Concord. ad Aſiatic. Civit.

Num. V.

ΚΕΝΔΡΕΙΣΕΙΑ ΠΥΘΙΑ ΕΝ ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Cendriſia Pythia Philippopoli Neocororum.* Templum.



Anc inſcriptionem ita diſtinguit & explicat Harduinus (*c*): Κέντρῳ, Δρόμῳ, vel Κεντόρων Δρομέων, Εἴσεια, Πύθια, ἐν Φιλιππȣπόλει Νεωκόρῳ. *Decurſione equeſtri pedeſtrique curſu*: ſive *Aurigarum curſorumque* certamina *in honorem Iſidis*, & Apollinis *Pythii*, in civitate *Philippopoli*, *quæ hos ludos edidit*. Eſt enim δρόμος, *curſus*: κέντρον *ſtimulus*, *calcar*, & μάςιξ: κέντωρ, *auriga*: δρομεὺς, *curſor*: quibus de vocibus vide Heſychium & Lexicon Conſtantini. Εἴσεια Græci ſubinde ſcribunt pro ἴσεια: ut in nummis Gazenſium ΕΙΩ ΙΟ eſt. Ita Harduinus. Juxta Gallandum vero, referente Vaillantio, (*d*) ΚΕΝΔΡΕΙΣΕΙΑ, *Cendriſia*, quæ Cendris vel Cendriſius inſtituit vel reſtauravit, certamina appellantur, ut ΕΦΕΣΙΑ *Epheſia Barbillea* a Barbillo quodam Aſtrologo ſub Veſpaſiano vocata. At lux major huic rei optanda. Nummum porro cudit, ediditque hæc certamina Φιλιππόπολις πόλις Μακεδονίας Φιλίππȣ τȣ̃ Ἀμύντȣ κτίσμα, ἐν τῷ Εὔρῳ, (*e*) *Philippopolis, Macedoniæ urbs, a Philippo Amyntæ Filio condita apud Hebrum fluvium.*

(c) In Chron. V. T. ad ann. V. C. 747. p. 517. oper. ſel. col. 2.

(d) In Græc. p. 339. Feſt. & Cert.

(e) Stephan. de Urbib.

TAB.

TAB. XLIII.

Num. I.

ΑΥΤ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Antoninus*, capite laureato.

ΕΠΙ ΣΤΡΑΤΙΓ. ΚΛ. ΑΛΕΣΑΝΔΡΟΥ ΘΕΟΛΟ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΠΡΩΤΩΝ Γ. ΝΕΟΚΟΡΩΝ. *Sub Prætore Claudio Alexandro Theologo Pergamenorum, Primorum, ter Neocororum*. Menſa, ſupra quam duo lebetes cum palmis, intermedia corona, in qua ΟΛΥΜΠΙΑ, *Olympia*, ſubtus vas anſatum cum duobus aliis in modum cornu efficitis.



Laudius Alexander Pergamenorum Prætor comparet heic titulo decoratus *Theologi*, cujus officium erat res de Diis ſacras ſermonibus explicare, populoſque edocere. Legimus (*a*) Hadrianum, quo tempore Smyrnæos fecit bis Neocoros, conceſſiſſe eis Θεολόγυς, *Theologos*, alioſque ſacros miniſtros. Agebat itaque Alexander *Prætorem* ſimul & *Theologum*: unde in *Olympiis*, quæ tum edidit, certaminibus & præſediſſe & orationem de Diis pro more habuiſſe credi poteſt. Olympiorum porro originem veteres ab Hercule repetebant, qui Eleorum campos ad Alpheum panegyricis ſolemnitatibus deſtinaverit: διὰ καὶ τὴν παραποταμίαν καθιερώσαντα τῷ μεγίςῳ τῶν Θεῶν, Ὀλυμπίαν ἀπ' ἐκείνε προσαγορεῦσαι. ὑποςησάμενον δ' ἱππικὸν ἀγῶνα καὶ γυμνικὸν τά τε περὶ τῶν ἄθλων διατάξαι, καὶ θεωρὲς ἀποςεῖλαι τοὺς ταῖς πόλεσι προεροῦντας τὴν θέαν ἀγώνων: (*b*) *totamque regionem Jovi maximo conſecratam, Olympiam ab eo denominaverit; tum equeſtri & gymnico certamine inſtituto, præmiiſque ordinatis, Theoros, qui ludorum ſpectacula civitatibus indicerent, dimiſerit*. Inter ceteros itaque ludos hic honoratiſſimus evaſit, & a pluribus civitatibus procedente tempore ſuſceptus eſt: ad Pergamenos autem ab Athenienſibus, quum eo coloniam deduxerunt, translatus eſt. Hinc quemadmodum in Elide, ἐπὶ τραπέζῃ προςίθενται τοῖς νικῶσιν οἱ ςέφανοι, (*c*) *ſupra menſam proponebantur victoribus coronæ*, ita Pergami factum prodit hic nummus. Hercules quidem ςεφανίτην κατεσκέυασεν, (*d*) ſolam *coronam* præmium victoribus *propoſuerat*; at ſecutis temporibus additæ ſunt alicubi palmæ, cum lebetibus & vaſculis.

(a) In Marm. Oxon. numero XXVIII. p. 93.

(b) Diod. Sicul. Lib. IIII. Bibl. Hiſt. p. 178.

(c) Pauſan. Lib. V. c. 20. p. 427.

(d) Diod. eod. Lib. p. 155. B.

vaſculis. Hoc autem in nummo vas quoque anſatum duoque alia in modum cornu efficta ſub menſa conſpiciuntur: ἐν ἀμφόρευσι χαλκαῖς ἔλαιον ἐτιμῶντο οἱ ἀγωνιζόμενοι Ἀθήνῃσι τὰ Παναθήναια: (a) *in amphoris enim æneis oleum ii* quoque *reportabant, qui Athenis in Panathenæis decertaverant.*

(a) Pindari enarrat. Nem. Od. X. p. 420.

Num. II.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Antoninus*, capite laureato.

ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ ΕΟΓΕΝΙΚΟΥ, forte Ἐπὶ Στρατηγοῦ ΓΕΜΙΝΟΥ. *Pergamenorum cum Smyrnæis Concordia ſub Prætore Gemino.* Æſculapius ſtans cum baculo involutum habente ſerpentem, ac Magna Mater ſedens cum patera in dextra, & ſiniſtra tympano innixa.



Oncordia Pergamenorum cum Smyrnæis, quo firmior eſſet, in nummis pluribus ſignata eſt. In iis autem Smyrnæi modo Nemeſes, modo Matrem Magnam, numina Urbis tutelaria, teſtes vindiceſque fœderis repræſentarunt: at vero Pergameni ſolum Æſculapium exhibuerunt, utpote cujus religio (b) totam urbem impleverat. Vides itaque, *Dei Medici* (c) *baculo, quem ramulis ſemiamputatis nodoſum gerit, ſerpentem generoſum lubricis amplexibus inhærere.* Bacillum (d) nempe habet nodoſum, quod difficultatem ſignificat artis: & ſerpens inhæret, eo quod morborum malignitatem deſerant ægrotantes ope (e) Medici, ut ſuam veterem pellem ſerpentes. Magna porro Mater nedum Smyrnæorum erga ſe cultum, fœderiſque vindicem heic ſe exhibet; ſed etiam Urbis ſitum exprimit, turrita nempe apparet & ſedens: μέρος μὲν τι ἔχουσα ἐπ᾽ ὄρει τετειχισμένον τὸ δὲ πλέον ἐν πεδίῳ πρὸς τῷ λιμένι καὶ πρὸς τῷ Μητρόῳ: nam *pars* (f) *ejus in monte erat ædificata, major in planitie ad portum & Magnæ Matris templum.*

(b) Ariſtid. orat. de Concord. ad Aſiat. Civit.
(c) Apul. Lib. I. Metam.
(d) Feſt.
(e) Theodor. Serm. VII.
(f) Strab. Lib. XIV. ubi de Smyrna.

TAB.

T A B. XLIIII.

Num. I.

ΑΥΤ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡ. ΣΕΥΗΡΟΣ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ ΣΕΒ. Π. Π. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Severus Antoninus Augustus Pater Patriæ*, capite laureato.
ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΗΣ ΣΕΥΕΡ. ΑΔΡΙΑ. ΜΗΤ. ΤΑΡΣΟΥ. *Antoninianæ Severianæ Hadrianæ Metropolis Tarsi*. Leo.



Rbs Tarsi heic *Antoniniana* ab Antonino, cui & nummum dedicavit, dicitur, quemadmodum a Severo Patre *Severiana*. At vero Μητρόπολις ἐξ ἀρχῆς (*a*), (a) Dio Chryſ. in princ. Tarſ. II. *Metropolis ab initio* fuit. Leonem vero exhibet, vel ut Herculem, a quo interfectus Leo fuit, designet, τον' Ἡρακλέα τιμᾶτε, (*b*) ipsum enim *Herculem colebat* Tarsus; vel ut (b) Id. in Tarſ. I. pag. 407. Antonino adsentetur, qui *contra* (*c*) *Leonem stetit*, *quo etiam* (c) Spartian. in Vit. c. 5. *missis ad amicos litteris gloriatus est*, *seque ad Herculis virtutem accessisse jactavit*. Præterea Leonem (*d*), ab eo Acinacem (d) Dio Caſs. apud Xiphilinum. Lib. LXXXVIII. p. 883. A. B. nominatum, ad mensæ lectiq; consortium admittere solebat: alebat complures alios leones, secumque nonnullos semper habebat, illum vero publice sæpe deosculabatur.

Num. II.

ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΗΣ ΣΕΤΕΡ. ΑΔΡΙΑ. ΤΑΡΣΟΤ Μ. Α. Κ. Γ. Β. *Antoninianæ Severianæ Hadrianæ Tarsi Metropolis Primæ Ciliciæ. Decreto Senatus*. Elephas, supereminente corona.



Itulus Primæ, quo gloriatur hoc in nummo Tarsus, honorem quidem supra alias Provinciæ Urbes, non vero auctoritatem adferebat. De hoc tamen *Primatu* contendebant, eoq; magnopere gloriabantur celebriores in singulis Asiæ Provinciis Urbes. Tarso autem omnino debebatur: ὑμῖν γὰρ, ἄνδρες Ταρσεῖς, συμβέβηκε μὲν, πρώτοις εἶναι τȣ̃ ἔθνȣς, ȣ̓ μόνον τῷ μεγίστῳ ὑπάρχειν τὴν πόλιν τῶν ἐν τῇ Κιλικίᾳ, ϗ Μητρόπολιν ἐξ ἀρχῆς κ. λ. *Vobis enim, viri Tarsenses*, inquit ad eos Dio Chrysostomus (*e*), *obtigit*, *ut primi sitis in hac* (e) Tarſ. II., quæ eſt nu. 34. p. 415. C. *gente*,

gente, non ſolum quod maximam omnium in Cilicia inhabitatis civitatem, & Metropolim ab initio, verum etiam quod Cæſarem ſecundum ſuper omnes optime vobis habuiſtis volentem & familiarem, qui vobis præſtitit terras, leges, honorem, poteſtatemque fluminis & maris circa eam. Quo magis porro Caracallæ Imperatori morem gereret Tarſus, Elephantum exprimi in nummo curavit. Antoninus enim & elephantum in theatro occidit, ϗ ἐλέφαντας πολλοὺς συμπεριήγετο, ὅπως ϗ ἐν τούτῳ τὸν Ἀλέξανδρον, μᾶλλον δὲ τὸν Διόνυσον μιμεῖσθαι δόξῃ: (a) *& elephantos complures ſecum ducebat, ut in hac re Alexandrum vel potius Dionyſium imitari videretur.*

(a) Dio Caſs. apud Xiphilinum Lib. LXXVII. pag. 874. A.

Num. III.

PLAUTILLA CARACALLAE UXOR.

ΠΛΑΥΤΙΛΛΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. *Plautilla Auguſta.* Caput ejuſdem.
ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ. *Corcyræorum.* Templum, in quo figura ſeu ſtatua cippo impoſita, ramum dextra tenet.



Filio natu majori Antonino, quum imperatorios honores conceſſiſſet Severus, uxorem quoque dare conſtituit. Ἐποιήθησαν δὲ ϗ οἱ γάμοι τοῦ τε Ἀντωνίνου τοῦ υἱοῦ τοῦ Σεβήρου ϗ τῆς Πλαυτίλλης τῆς τοῦ Πλαυτιανοῦ θυγατρός: (b) *Celebratæ itaque ſunt nuptiæ Antonini, Severi filii, & Plautillæ, filiæ Plautiani* urbanis cohortibus Præfecti. Plautianus autem tantum filiæ ſuæ dedit, quantum Reginis quinquaginta ſatis fuiſſet, teſte Dione Caſſio (c), qui omnia per forum in palatium comportari vidit. At vero Antoninus parum eo matrimonio lætus, ac neceſſitate magis quam voluntate impulſus, puellam ipſam ac puellæ parentem peſſime oderat. Inſimulatus itaque inſidiarum in Severum ab Antonino Plautianus, interfici jubetur: Plautilla vero & Plautius frater in Liparam inſulam relegati ſunt, ibique vixere calamitoſe, atque in maximo metu & inopia rerum neceſſariarum. mortuo autem Severo inter alios, quos occidi juſſit Antoninus, ὧν ἦν ἥτε γυνὴ αὐτοῦ ἡ Πλαυτίλλα (d), *fuit & ejus uxor Plautilla*, hujuſque frater Plautius. Feminam fuiſſe ἀναιδεστάτην (e), *impudentiſſimam*, ſcribit idem Dio. Medio itaque inter nuptias & exilium tempore cudit Plautillæ nummum hunc *Inſula (f) ex adverſo Theſprotiæ*,

(b) Dio Caſs. Lib. LXXVI. apud Xiphil. p. 859.

(c) Ibid.

(d) Dio Caſs. in princip. Libri LXXVII. pag. 870.

(e) Lib. LXXVI. p. 861. A.

(f) Plin. Lib. IIII. c. 12.

tiæ, a Butroto duodecim millia paſſuum, eadem ab Acroceruniis quinquaginta millia, cum urbe ejuſdem nominis Corcyra liberæ civitatis & oppido Caſiope Temploque Caſii Jovis; quod forte hoc in nummo exhibetur. Ramum ſtatua habet διά τό πολύκαρπόν τε καὶ εὔκαρπον (*a*), *propter fructuum abundantiam & fertilitatem.* (a) Euſtathius in ver. 494. Dionyſ. Perieget.

Num. IIII.

ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ. *Corcyræorum*. Vir nudus cum muliere loquens, adſtante figura armata.



Ortaſſis exhibetur heic Ulyſſis, ubi Corcyram, quæ & Phæacum inſula, e naufragio adpulit, cum Nauſicaa Alcinoi Phæacum Regis filia conloquium. Ὡς δὲ γυμνὸς ἐπιβὰς ἐθαυμάζετο παραχρῆμα ὑπὸ τῆς Ἀλκινόυ θυγατρός (*b*): Itaque, *quum nudus inſulam ingreſſus eſſet, admirationi ſtatim fuit, primo quidem Alcinoi filiæ*, (a qua etiam veſtes, quibus nuditatem ſuam contegeret, impetravit) & paullo poſt, quum ſui ſpecimen edidiſſet, omnibus. Quapropter muneribus ab eiſdem cumulatus, domum diſceſſit. (b)Liban.inUlyſ. laudat. Καὶ ταῦτα πάντα ἐγίνετο τῆς Ἀθηνᾶς βυλομένης. *Atque hæc certe omnia Minervæ*, (quæ forte ſub figura illa armata exhibetur in nummo), *conſilio ſuſcepta peractaque fuiſſe*, ſubdit Libanius ex Homero. Corcyra ipſi *Homero* (*c*) *dicta eſt Scheria & Phæacia, Callimacho etiam Drepane*. Hinc auctor brevium in Homerum ſcholiorum, quæ Dindymi nomine circumferuntur, hæc ſcribit: (c) Plin. Lib. IIII. c. 12. (*d*) Σχερία ἐκαλεῖτο ἡ νῆσος τῶν Φαιάκων. τὸ δὲ μετὰ ταῦτα ἐκλήθη Κέρκυρα. τὸ δὲ ἀρχαιότατον ἐκαλεῖτο Δρεπάνη. *Scheria vocabatur Phæacum Inſula, quæ poſtea dicta eſt Corcyra; antiquiſſimum vero nomen fuit Drepane*. Videndus Eminen.[mus] dignitate ac doctrina Card. Quirinus, maximum Congregationis Benedictino-Caſinenſis, tum Purpurati Senatus, immo totius Reip. Chriſtianæ decus, qui, quæ ad *Primordia* (*e*) *Corcyræ* ſpectant, ita omnia exhauſit, feliciterque pro ea, qua pariter eminet, eruditione digeſſit, ut nihil reliqui fecerit, nihilque deſiderandum ſuperſit. (d) In v. 34. E Odyſs. Homeri. (e) Edita Brixiæ anno 1738.



Num.

TAB. XLV.

Num. I.

GETA.

ΠΟ. ΣΕΠΤΙΜΙΟΣ ΓΕΤΑΣ. *Publius Septimius Geta*, capite nudo.
ΜΥΛΑΣΕΩΝ. *Mylaſenſium*. Templum, in quo Juppiter Labrandenus, cum fulcris, haſta, & ſecuri.



Eta natus eſt L. Septimio Severo ex Julia, & ita *dictus eſt* (*a*) *vel a patrui nomine*, *vel avi paterni*. Fuit adoleſcens moribus aſperis, ſed non impiis, (*b*) *a natura decorus*, in litteris adſequendis (*c*) & tenax veterum ſcriptorum, & paternarum etiam ſententiarum memor; Fratri ſemper inviſus, Matri amabilior quam frater. Poſt Parthicum bellum, quum ingenti gloria floreret Severus, Antonino majori natu participe imperii appellato, *Geta* (*d*) *quoque Cæſaris nomen accepit*. Cudit ei nummum Μύλασα πόλις Καρίας (*e*), *Mylaſa Cariæ urbs*, a Mylaſo Chryſaoris filio condita. Mylaſenſes autem duo habebant Templa Jovis, unum in urbe ejus ſc., quem Oſogo dicebant, aliud *Labrandeni* longius ab urbe in pago Labranda inter Alabandas & Mylaſa: ἐνταῦθα Διός ἐςιν νεὼς ἀρχαῖος ϗ ξόανον Διὸς ςρατίȣ, (*f*) *ibiq; Templum erat Jovis antiquum & ſimulacrum Jovis militaris*. Colebatur is a circumjacentibus & a Mylaſenſibus, via eo uſq; ſtrata ab urbe ad ſexaginta fere ſtadia, quæ ſacra dicebatur, ac per eam ſacræ pompæ ducebantur: Sacerdotium vero nobiliſſimi Civium per omnem vitam gerebant. Auctor eſt Plutarchus (*g*), Herculem occiſæ Hippolytæ bipennem dono Omphalæ dediſſe, eamque Lydorum Reges geſtaſſe: interfecto autem Candaule Mylaſenſes bipennem in Cariam adſportaſſe, Joviſq; adornato ſimulacro, eam illi in manum aptaſſe, ϗ Λαβραδέα τὸν Θεὸν προσηγόρευσε. Λυδοὶ γαρ λάβρυν τὸν πέλεκυν ὀνομάζȣσι, *Labradeumq; nominaſſe Jovem: Labram enim Lydi vocant*, *quod* Latini *ſecurim*. Lactantius (*h*) tamen cognomen hoc a *Labrandeo* Jovis hoſpite ac belli ſocio deducit: & Ælianus (*i*) ab imbre λάβρῳ, h. e. *vehementi*, quem illic Juppiter effuderit.

(a) Spartian. in Vit. c. 2.
(b) Id. c. 4.
(c) Cap. 5.
(d) Ibid.
(e) Stephan. de Urbib.
(f) Strab. Lib. XIIII. p. 658.
(g) In quæſt. Græc. p. 301. F.
(h) Inſtit. Lib. I. c. 22.
(i) Hiſt. Animal. Lib. XII. c. 30.

Num.

Num. II.

ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΠΟ. ΣΕΠΤΙΜΙΟΣ ΓΕΤΑΣ ΣΕΒ. *Imperator Cesar Publius Septimius Geta Augustus*, capite laureato.
ΑΦΡΟΔΙΣΙΕΩΝ. *Aphrodisiensium*. Antoninus & Geta paludati atque laureati, quorum alter Dianam, alter hastam tenens, dextras jungunt super aram ignitam.



ANno U. C. DCCCCLXI. (*a*), quo Consul secundum cum Antonino processit, Geta *Imperator* quoque & *Augustus*, ut fidem faciunt nummi, renuntiatus est. Tum ei dedicavit hunc nummum Ἀφροδισιὰς μεταξὺ Λυδίας καὶ Καρίας (*b*), *Aphrodisia inter Lydiam & Cariam* Urbs: & in eo fratres jungentes dextras, *pacemq;* (*c*) *per aras*, & numina exposcentes repræsentavit, morem gerens parensque Senatui Romano, qui (*d*), *ut pro utriusque concordia sacrificaretur Diis*, decreverat. At irrita ceciderunt vota, reconciliari enim fratres nunquam potuere: quin usque ad internecionem ipsius Getæ processit Antoninus.

(a) Chr. 208.
(b) Stephan. de Urbib.
(c) Virgil. Æneid IV. v. 56.
(d) Dio Cass. Lib LXXVII. pag. 871. B.

Num. III.

ΕΦΕΣΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑΣΙΑΣ. *Ephesiorum Primorum Asiæ*. Navis velo expanso.



NAvem signavit Ephesus, ἔχει δ' ἡ πόλις καὶ νεώρια (*e*), quod *navalia* haberet, essetq; emporium Asiæ, eorum, quæ intra Taurum, maximum. Hinc Getæ frater *Imperator* (*f*) *Antoninus Augustus ad desideria Asianorum rescripsit, Proconsuli necessitatem impositam per mare Asiam applicare;* καὶ τῶν Μητροπόλεων Ἔφεσον *Primam adtingere*. Atque huc respicit nummus (*g*) Philippo cum hac epigraphe cusus ΕΦΕΣΙΩΝ Α. ΚΑΤΑΠΛΟΥΣ, *Ephesiorum primus adpulsus*: & primatus, quo heic insigniuntur Ephesii, re navali (*h*) magna ex parte nitebatur.

(e) Strab. Lib. XIIII. p. 641.
(f) Ulpian. in Digest. Lib. I. de off. Procos. & Legat. Tit. XVI. nu. 4.
(g) Apud Vaillant. in Græc. & Harduin. in num. Popp.
(h) Vid. Aristid. orat. de Concord. ad Asiat. Civit. p. 522., alias 308.

Num. IIII.

ΕΦΕΣΙΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Ephesiorum bis Neocororum.* Vacca vitulum lactans.

(a) Orat ad Asiat. Civit. de Concor. p. 522. al. 308.

(b) Id. ibid.

(c) Num. 2 Tab. X., & alibi.

DE Ephesо disserens in communi Asiæ conventu Aristides (*a*), existimare se ait, cunctos, quotquot inter Herculis columnas & Phasim fluvium habitabant, recte facturos, si Ephesum sibi familiarem fecissent, idque partim societate portuum, partim aliis omnibus susceptionibus. Πολλὴ μὲν γὰρ εἰς μεσόγειαν ἀεὶ βαδίζοντι, πολλὴ δ᾽ ἐπ᾽ αὐτῆς τῆς Θαλάττης, πανταχοῦ καὶ ἱκανὴ παραχεῖν ἅπαντα, ὅσων δεῖ πόλει διαίταις τε ἁπάσαις ἀρκέσαι ὅσας ἄνθρωποι διαιτᾶσθαι δύνανται καὶ προαιροῦνται (*b*). *Nam & mari terraque longe extenditur, & ubique sufficit ad ea, quibus est opus, præbenda, cunctasque vitæ rationes, quibuscumque uti homines vel possunt vel volunt, suppeditandas.* Hinc in nummo vacca lactans exhibetur, animalium solique fecunditatis symbolum. Sæpe occurrit in Ephesiorum nummis Diana Ephesia *multimammia, id est multarum mammarum,* & nos supra (*c*) vidimus; idque fieri potuit, quod quidem putaretur *omnium viventium nutrix*, sed præcipue Ephesiorum, qui & propterea præcipuo honore illam colebant.



TAB.

T A B. XLVI.

Num. I.

MACRINUS.

ATT. K. M. ΟΠΕΛ. ΣΕΒΗΡ. ΜΑΚΡΕΙΝΟΣ ΣΕΒΑ. *Imperator Cæſar Marcus Opelius Severus Macrinus Auguſtus*, capite laureato.

ΕΠΙ ΣΤΡΑ. ΑΤΣΟΣΑΛΟΥΣ . . . ΟΙΠ. ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ. *Sub Prætore .... Thyatirenorum*. Apollo cum ſecuri in ſiniſtra & prora navis ad pedes, ſtat inter Macrinum & Diadumenianum paludatos atque laureatos cum haſtis.



Cciſo in Meſopotamia (*a*) die VIII. Aprilis (*b*) anni U. C. DCCCCLXX. Caracalla, τῇ Δ' ἡμέρᾳ (*c*), *die poſt quarta*, *Opilius Macrinus* (*d*) Præfectus Prætorio ejus auctorque necis, *imperium arripuit*, humili natus loco, & animi atq; oris inverecundi, homo vitiorum omnium. Mortem tamen Caracallæ Senatus (*e*) gratanter accepit, & Opilium Macrinum libertatem publicam curaturum ſperans, primum in patricios adlegit novum hominem, & qui paullo ante procurator rei privatæ fuiſſet. Eumdem, quum ſcriba Pontificum eſſet, *Pontificem Maximum* appellavit: tum etiam *Proconſulare imperium*, & *Poteſtatem Tribuniciam* detulit. Ipſe Macrinus ſe nunc *Severum*, nunc Antoninum, quum in odio eſſet omnium, nuncupavit. Itaque *inſulſit* (*f*) *in nomen Severi*, *quum illius nulla cognatione tangeretur*. Morem tamen gerentes adulanteſque cum ceteris Thyatireni in Lydia Macrinum ipſum *Severum* inſcripſerunt, eundemq; cum filio, intermedio Apolline exhibuerunt. Apollo autem *ſecurim tenens* videtur; καὶ φησιν Ἀριςείδης καὶ ἄλλοι τῶν ἐν Τενέδῳ Ἀπόλλωνα πέλεκυν κρατεῖν (*g*), *quo habitu eum Tenedii colebant*, *teſte Ariſtide & aliis*. Proram vero navis habet ad pedes, nam *Thyatira* (*h*) *adluebatur Lyco* flumine.

(a) Dio Caſſ. Lib. LXXVIII. pag. 882. D.
(b) Chr. 217.
(c) Dio Caſſ. ibid.
(d) Capitol. in Vit. c. 2. & 5.
(e) Id. cap. 7.
(f) Id. cap. 5.
(g) Stephan. de Urbibus, voce Τένεδος.
(h) Plin. Lib. V. cap. 29.

Num. II.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΟΠΕΛ. ΣΕΟΥΗ. ΜΑΚΡΕΙΝΟΣ. *Imperator Cæſar Marcus Opelius Severus Macrinus*, capite laureato.

ΕΦΕΣΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑΣΙΑΣ. *Epheſiorum Primorum Aſiæ*. Templum cum ſtatua, ante quod ara accenſa cum Sacerdote & bove, adſtantibus togato ac tribus aliis paludatis, qui manus ad cœlum tollunt.



INſcribuntur heic *Epheſii Primi Aſiæ*, & in alio Macrini nummo (*a*) *ſoli Primi* dicuntur; Pergameni autem & Smyrnæi cum eodem titulo, quo ante decorabantur, imperante Macrino minime, quod ego noverim, comparent. Legimus (*b*) Pergamenos iis, quæ a Caracalla acceperant, a Macrino ſpoliatos fuiſſe: unde & multis eum fœdiſque contumeliis oneraverunt; ipſe vero infamia publica eoſdem ulterius notavit. Videtur etiam Smyrnæos a Primorum titulo ceſſare juſſiſſe. Epheſii itaque hoſtias & preces ſimul cum militibus pro Macrino, quem propenſiorem experiebantur, offerunt. At, quum is perjurus eſſet, quippe qui ad Senatum litteras miſit de morte Caracallæ, *excuſans* (*c*) *ſe & jurans, quod de cæde illius neſcierit, ſceleri ſuo, more hominum perditorum, jungens perjurium*, inaniter crediderunt *Jovem* (*d*) *ſe placare poſſe omnibus hoſtiis*. Invocante porro Sacerdote Jovem, manus ad cœlum adſtantes tollebant juxta ritum illum: *Quum* (*e*) *Jovem dicit, manus ad cœlum tollit*. De tauro Jovi mactando necne vide Macrobium (*f*). Itaque (*g*)

Et operam & ſumptum perdunt: atque id ideo
Fit; quia nihil ei acceptum eſt a perjuris.

(a) Gazæ Gallor. Reg. apud Vaillant. in ſelect. de Camps pag. 76. & Nob. Garz. apud eumd. in Græc.
(b) Apud Dio Caſ. Lib. LXXVIII. p. 897. C.
(c) Capitol. in Vit. c. 5.
(d) Plaut. in Prologo Rudentis v. 22.
(e) Macrob. Sat. III. c. 9.
(f) Eod. Lib. c. 10.
(g) Plaut. ib. v. 23.



Num.

Num. III.

DIADUMENIANUS.

M.OPEL.ANTONINVS DIADVMENIANVS CÆS. *Marcus Opelius Antoninus Diadumenianus Cæſar*, capite nudo.

PRINC. IVENTVTIS. *Princeps Juentutis*. Diadumenianus paludatus inter ſigna & vexilla militaria.



Ix innotuit (*a*) legionibus, occiſum eſſe Antoninum Caracallam, ut ingens mœror obſederit omnium pectora, quod Antoninum in Rep. non haberent, exiſtimantium, quod cum eo Romanum eſſet imperium periturum. Poſtquam idipſum Macrino Patri & Imperatori nuntiatum eſt, veritus ne in aliquem Antoninorum, qui multi ex adfinibus Antonini Pii erant inter Duces, exercitus inclinaret, ſtatim concionem parari juſſit, *filiumque* (*b*) *ſuum* Diadumenianum *puerum Antoninum appellavit*. Miſſæ (*c*) etiam ad Senatum litteræ, quibus nomen *Antonini* indicatum eſt. Quare etiam Senatus imperium id libenter dicitur recepiſſe; quamvis alii *Antonini* Caracallæ odio id factum putent. Congiarium etiam per edictum *Antoninianum* promiſit Macrinus. Hinc *ſigna* (*d*) *in caſtris & vexilla fieri Antoniniana juſſit*, *fecitq; ſimulacra ex auro atq; argento*; atq; dies ſeptem ſupplicatio pro *Antonini* nomine celebrata eſt. Ubi vero lecta eſt in Senatu Macrini epiſtola, εὐπατρίδης τε γὰρ καὶ Πρόκριτος τῆς νεότητος, Καῖσάρ τε ἀπεδείχθη, (*e*) *Patricius ac Princeps Juventutis & Cæſar* Diadumenianus *renuntiatus eſt*. Puer fuit omnium ſpecioſiſſimus, ſtatura longiuſcula, *crine flavo*, (*f*) *nigris oculis*, *naſo deducto*, *ad omnem decorem mento compoſito*, *ore ad oſcula parato*, fortis naturaliter, exercitio delicatior. Hic, ubi primum indumenta coccea & purpurea ceteraq; caſtrenſia imperii inſignia accepit, quaſi ſidereus & cœleſtis emicuit, ut amaretur ab omnibus gratia venuſtatis.

(a) Lamprid. in Diad. c. 1.

(b) Id. ibid.

(c) Cap. 2.

(d) Cap. 3.

(e) Dio Caſſ. Lib. LXXVIII. pag. 895. D.

(f) Lamprid. in Vit. c. 3.

TAB. XLVII.

Num. I.

M. ΟΠΙΛΛΙΟΣ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ. *Marcus Opillius Antoninus*, capite nudo.

ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΑΔΑΝΕΩΝ. *Hadrianorum Adanorum*. Victoria gradiens cum ſerto in dextra, & palma in ſiniſtra.



STatim atque Macrinus filium ſuum *Antoninum* appellavit, *apud Antiochiam* (*a*) Syriæ *moneta Antonini Diadumeniani nomine percuſſa eſt*. Exemplum ſecuta Adana (*b*) Ciliciæ, vicinæ Provinciæ urbs, *Hadriana* in gratiam Hadriani Imperatoris cognominata, nummum hunc eidem dedicavit. In eo autem Victoriam cum ſerto & palma exhibuit; quaſi bellum contra Parthos proſpere a Macrino confectum eſſet: hinc & in Macrini nummis (*c*) VICTORIA PARTHICA occurrit, quamvis cladem ipſe a Parthis acceperit. Quia tamen non omnia, prout acciderant, Senatui accurate perſcripſit; καὶ διὰ τοῦτο καὶ θυσίαι αὐτῷ ἐπινίκιοι ἐψηφίσθησαν, καὶ τὸ ὄνομα τὸ Παρθικὸν ἐδόθη (*d*), *propterea decreta ſunt ei de parta victoria ſacrificia, datumque Parthici nomen*: quod tamen ipſe Macrinus non uſurpavit, pudore victus, uti conſentaneum erat, ab iis ſumere cognomen, a quibus fuerat ſuperatus.

(a) Lamprid. in Diad. c. 2.

(b) Stephan. de Urbib.

(c) Apud Mediob. p. 306. 307.

(d) Dio Caſſ. Lib. LXXVIII. pag. 900. D.



Num.

Num. II.

ANTONINUS ELAGABALUS.

ATT. M. AT. ANTΩNEIN. ΣEB. *Imperator Marcus Aurelius Antoninus Augustus*, capite laureato, & cum aſtro in area nummi.

IEPAΠOΛEITΩN NEΩKOPΩN. *Hierapolitarum Neocororum*. Templum cum Imperatore intus ad aram ſacrificante, ſuperius caput Solis, ſeu ipſius Elagabali, inferius aſtrum.



Uliæ uxoris Severi Imperatoris ſoror fuit Mæſa, (*a*) hæcq; ex Soæmide filia & Vario Marcello nepotem habuit Avitum nomine. Eutychianus (*b*) itaque libertus Cæſarianus finxit, hunc Avitum eſſe Antonini Caracallæ ſpurium filium, duxitq; in caſtra die XVI. Maji U. C. (*c*) DCCCCLXXI., obtinuitq; a militibus quærentibus occaſionem rebellandi, ut *hunc Antoninum nominarent, Imperatoremq; deſignarent*: (*d*) Οἱ δὲ Ἀντωνῖνον αὐτὸν ὀνομάσαντες Αὐτοκράτορα παραχρῆμα ἀνέδειξαν. Quo facto contra Macrinum *Pſeudo-Antoninus* profectus eſt, eumq; vicit. Captus eſt etiam Macrini filius Diadumenianus, & uterq; occiſus. Novo itaque Principi *Hierapolis Phrygiæ Urbs*, ἐν Ἱεραπόλει τῆς Φρυγίας ἱερὸν ἦν Ἀπόλλωνος, (*e*) *ubi erat Templum Apollinis*, ſeu Solis, nummum hunc dedicavit, & in eo ipſum Solem ſub aſtri forma, ejuſque Templum cum Imperatore intus ad aram ſacrificante exhibuit. Ἱερᾶτο δὲ αὐτὸς Θεῷ Ἡλίῳ· τοῦτον γὰρ οἱ ἐπιχώριοι σέβουσι, τῇ Φοινίκων φωνῇ Ἐλαιγάβαλον καλοῦντες· νεὼς δὲ αὐτῷ μέγιστος κατεσκεύαστο αὐτοῦ, χρυσῷ πολλῷ καὶ ἀργυρίῳ κεκοσμημένος, λίθων τε πολυτελείᾳ (*f*). *Erat enim* Antoninus *Sacerdos Dei Solis, quem indigenæ* Syri *colebant, Phœnicum voce Elagabalum appellantes, cui Templum magnum ædificatum erat, auro argentoque plurimo ornatum lapidibuſq; politiſſimis*. Hinc Pſeudo-Antoninus ipſe dictus eſt *Elagabalus*.

(a) Dio Caſs. Lib. LXXVIII. pag. 902.
(b) Id. eod. Lib p. 888.
(c) Chr. 218.
(d) Id. Dio ibid.
(e) Phot. Cod. CXLII.
(f) Herodian. Lib. V. c. 3.

Num. III.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ· *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus*, capite laureato.

ΕΠΙ. Α.......... ΥΠΑΙΠΗΝΩΝ. *Hypæpenorum*. Duæ mulieres ſtantes, una tutulata, alia cum cornucopiæ & temone.

(a) Herodianus Lib. V. c. 3.



QUum Antoninus puer eſſet formoſiſſimus (*a*), ita ut congruentibus in unum forma corporis atque ætatis flore, ſimul habitu molliſſimo, facile eum Dionyſii pulcherrimis imaginibus adſimilarent; *Hypæpa* (*b*) vero urbs Lydiæ, καλλίςας ἔχειν γυναῖκας, δῶρον τῆς Α᾽φροδίτης, (*c*) *pulcherrimas habere mulieres easque dono Veneris* ferretur; hoc in numiſmate hinc Antoninum ipſum ætate florentem, illinc Venerem ſive Junonem Pronubam, quæ *partubus* (*d*) *præeſſe dicebatur*, videmus. Addita eſt quoque Fortuna, quæ utrique favere credita eſt, Antonino ſcilicet in adipiſcendo imperio, Hypæpæ in fecundando ſolo; ſita enim Urbs erat (*e*), qua deſcendebatur a Tmolo ad Cayſtrium πάντων ἄριςον πεδίων (*f*), *campum omnium optimum*.

(b) Stephan. de Urbib.
(c) Id. ibid.
(d) Albric. de Deor. Imag. in Junone.
(e) Strab. Lib. XIII. p. 627
(f) Id. paullo ante.

T A B. XLVIII.

Num. I.

Α. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Antoninus* laureatus cum capite Herculis in area.

ΕΠ. ΣΤΡ. ΑΥΡ. ΝΕΙΚΩΝΟΣ Β. ΕΡΥΘΡΑΙΩΝ. *Sub Prætore Aurelio Nicone iterum, Erythræorum*. Templum, in quo Hercules cum clava elata in dextra, ſpolioq; leonis in ſiniſtra.

(g) Strab. Lib. XIIII. p. 644.



URbs Joniæ fuit (*g*) Erythra, portum habens & quatuor parvas inſulas ante eum, quæ Hippi appellabantur. Ἡ᾽σθεὶς ἂν ϗ τῷ ἐν Ἐρυθραῖς Ἡρακλείῳ κατὰ ἀρχαιότητα. (*h*) *Cum voluptate vero ſpectabatur Erythris vetuſtiſſimum Delubrum Herculis*. Τάχα δ᾽ ἂν ἡ λεοντὴ ϗ τὸ ῥόπαλον, ἐκ τῆς παλαιᾶς θεολογίας ἐπὶ τȣτο μετενηνεγμένη εἴη. (*i*) *Cui clavam & pellem leoninam hiſtoria vetus adtribuit*; quod Dux bonus crederetur, & multæ regiones terræ ipſius vim expertæ dicerentur.

(h) Pauſan. Lib. VII. c. p. 405.
(i) Phurnut. de Hercule.

Num.

Num. II.

SEVERUS ALEXANDER.

IMP. SEV. ALEXANDER AVG. *Imperator Severus Alexander Auguſtus*, capite laureato.

ADLOCVTIO AVGVSTI COS. III. P.P. *Adlocutio Auguſti, Conſulis tertium, Patris Patriæ*. Imperator adloquens e ſuggeſtu milites.

Ntroductus ab Elagabalo conſobrino in Senatum Baſſianus (*a*), filius adoptatus eſt, ϗ Ἀλέξανδρος τε καλεῖται (*b*), *& Alexander vocatus*, avito ſuo nomine in Macedonis Regis nomen commutato. Ἀποδείκνυται δὲ Καῖσαρ ὁ Ἀλέξανδρος, Ὑπατός τε σὺν τῷ Ἀντωνίνῳ. (*c*) *Hinc Cæſar declaratur*, *& Conſul cum* ipſo *Antonino* Elagabalo *deſignatur* in annum U.C. (*d*) DCCCCLXXV. Occiſo autem die X. aut XI. Martii ejuſdem anni Elagabalo, *Alexander* (*e*) *accepit imperium Auguſtumq; nomen recepit, addito eo ut & Patris Patriæ nomen, & jus Proconſulare, & Tribuniciam Poteſtatem, & jus quintæ relationis, deferente Senatu uno die adſumeret*. Conſul vero iterum proceſſit Kalendis Januarii U. C. (*f*) DCCCCLXXIX.; & biennio poſt Dionem hiſtoricum honoravit, eumq; iterum futurum Conſulem deſignavit ſecum in annum U. C. (*g*) DCCCCLXXXII. Itaque *Conſulatum* (*h*) *ter iniit tantum ordinarium, ac primo nundino ſibi alios ſemper ſuffecit*. Annos tredecim ſine querela cujuſquam imperium adminiſtravit Alexander. Quarto autem decimo, quum Artaxerſes Perſarum Rex bellum moviſſet, profecturus magno cum exercitu contra ipſum Imperator, Ο῾ δὲ Ἀλέξανδρος ἀθροίσας τοὺς ἐν Ῥώμῃ στρατιώτας, συνελθεῖν τε πάντας κελεύσας ἐς τὸ συνῆθες πεδίον ἐπὶ βήματος ἀνελθὼν, ἔλεξε, (*i*) *urbanis omnibus militibus convocatis in campum conſcenſoque tribunali eoſdem adlocutus eſt*; & ad ſuſcipiendum contra Perſas bellum incendit. Milites vero adloquentem alacri vociferatione exceperunt, ſeque promptiſſimos ad bellandum oſtenderunt.

(a) Dio Caſs. Lib. LXXIX. pag. 914. E.
(b) Herodian. Lib. V. c. 7.
(c) Id. ibid.
(d) Chr. 222.
(e) Lamprid. in Alex. c. 1.
(f) Chr. 226.
(g) Chr. 229.
(h) Lamprid. c. 28.
(i) Herodian. Lib. VI. c. 3.

Num. III.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΣΕΥ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΑΥΓ. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Severus Alexander Augustus*, capite radiato, cum hasta in dextra & scuto in sinistra.

ΕΠ. Μ. ΑΥΡ. ΦΡΟΝΤΟΝΟΣ ΚΑΙ ΑΙΛ. ΦΗΣΤΟΥ ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. *Sub Marco Aurelio Frontone & Ælio Festo Byzantiorum*. Imperator eques decurrens cum hasta in dextra.

(a) Lamprid. in Vita c. 28.

(b) Herod. Lib. III. cap. 6.

(c) Spart. in Anton. c. 1.

(d) Lucan. de Aug. Lib. VII. v. 457. ubi tamen legitur: civilia Divos.



Romanorum de gente (*a*) originem trahere videri volebat Alexander, quia eum pudebat Syrum dici; hinc, ubi ad imperium venit, militesque adlocutus est, Ἀντωνίνου τοῦ ἐμοῦ Πατρός, (*b*) *Parentem suum* dixit *Antoninum* Caracallam. *Byzantiis* porro, quum partes Nigri contra Severum secuti essent, capta diruptaque urbe a Severi militibus, & in vici formam redacta Perinthiisque adjudicata, Antoninus *interventu* (*c*) *suo jura vetusta restituit*. Grati itaque patris Antonini beneficio lætique adventu filii Alexandri, proficiscentem hunc contra Persas corona radiata felici omine ornarunt Byzantii, hisque votis prosecuti videntur:

Bella (*d*) *pares superis facient* hostilia *Divos*
Fulminibus manes radiisque ornabit & astris.

T A B. XLIX.

Num. I.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΣΕ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Severus Alexander*, capite laureato.

ΕΠΙ ΣΤΡΑ. Μ. ΠΩΛΛΙΑΝΟΥ ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ. *Sub Prætore Marco Polliano Thyatirenorum*. Juppiter sedens, superne nudus inferne tectus, cum sceptro in sinistra & aquila in dextra.

(e) De Origin. Const. pag. 14.



Eo habitu Juppiter heic repræsentatur a Thyatirenis Lydiæ, quo & alibi colebatur, & Constantinopoli fuit teste Codino, qui ejus rationem ita reddit (*d*). Ἄγαλμα πλάττουσι Διὸς καθήμενον, ἔχον τὰ μὲν ἄνω γυμνά, τὰ δὲ κάτω σκεπασμένα· κρατεῖ δὲ τῇ μὲν εὐωνύμῳ χειρὶ σκῆπτρον, τῇ δὲ δεξιᾷ ἀετὸν προτείνει. κ. λ. *Jovis simulacrum sedere fingunt, superne nudum, inferne*

ferne tectum; & læva quidem manu ſceptrum tenere, dextra vero aquilam protendere. Quod autem ſedet, ſtabilitatem potentiæ apud ipſos ſignificat: quod ſuperne nudus eſt, innuit ipſum intelligentibus & cœleſtibus mundi partibus eſſe conſpicuum. Cetera tegunt, quod Deus humi repentibus eſt ignotus. Sceptrum in læva poteſtatis indicium eſt. Aquila vero altera manu extenta ſignificat, eum ſpiritibus aeris imperare, ut aquilam volucribus.

Num. II.

. ΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Alexandri*, caput galea tectum.



SCribit Lampridius (*a*), Alexandrum Imperatorem nomen *Alexandri* accepiſſe, quod in Templo dicato apud Arcenam urbem *Alexandro Magno* natus eſſet, quum caſu illuc die feſto *Alexandri* pater cum uxore patriæ ſolemnitatis implendæ cauſſa veniſſet: hujuſque rei argumentum addit, quod eadem die natalem haberet hic Mamææ Alexander, qua ille Magnus exceſſit e vita. At vero Dio Caſſius, Alexandro coætaneus & amicus, Βασσιανόν, *Baſſianum* prius vocatum adfirmat (*b*), poſtea Alexandrum; traditq; Elagabalum, ubi illum adoptavit, dixiſſe a Deo ſuo non ſolum, ut adoptaret, ſibi præceptum fuiſſe, καὶ Ἀλέξανδρον αὐτὸν προσονομάσαι, (*c*) *ſed etiam ut Alexandrum nominaret*. Herodianus quoque, qui ipſo Alexandro imperante floruit, teſtatur (*d*), illum, quum adoptaretur, nuncupatum eſſe Alexandrum, avito ſuo nomine *Alexiani* in Macedonis Regis nomen multo inluſtrius ac glorioſius commutato. Elaboravit itaque Alexander (*e*), ut dignus illo nomine videretur, immo ut Macedonem ipſum vinceret; dicebatque inter Romanum Alexandrum & Macedonem multum intereſſe debere. Reprehenſum tamen hoc ipſum in eo eſt, quod ſe (*f*) Magnum Alexandrum videri volebat. *Alexandri* (*g*) *habitu nummos plurimos figuravit*; e quorum numero eſt hic ipſe, cui inluſtrando damus operam; in eo enim ipſius Alexandri Imperatoris caput galea, qua ad modum Alexandri Macedonis uti in bellis conſueverat, tectum conſpicitur.

(a) In Alex. c. 5.
(b) Li. LXXVIII c. 30. p. 51. Edit. Rom. an. 1724.
(c) Lib. LXXIX. c. 17. pag. 95.
(d) Lib. V. c. 7.
(e) Lamprid. in Vit. c. 50.
(f) Id. cap. 64.
(g) Id. cap. 25.

Num. III.

ΑΔΡ. ΣΕΥ. ΑΛΕΞ. ΑΜΑΣΙΑΣ ΜΗΤ. ΝΕ. ΠΡΥΤΟΝ. ΕΤ. ΣΚΗ. *Hadrianæ Severianæ Alexandrianæ Amaſiæ Metropolis, Neocoræ* (forte ΠΡ. ΠΟΝ.) *Primæ Ponti*, *anno* CCXXVIII. Monumentum, ſupra quod Aquila, hinc arbores, altiuſque decurrens Sol.



Adriana dicitur heic Amaſia ab Hadriano Imperatore, Severiana a Severo, *Alexandriana* vero ab ipſo Alexandro, cui & nummum dedicavit. Dicitur quoque *Metropolis*, *Neocora*, & *Prima Ponti*, quibus titulis ornatur, ac ſupra ceteras eminet ejuſdem Provinciæ urbes. Sita erat (*a*) in convalle profunda ac magna, per quam Iris fluvius labebatur. Mirum in modum apparata erat, cum providentia hominum, tum natura loci, poteratque etiam caſtelli uſum præbere: nam petra ſublimis & circumquaq; præceps ac prærupta ad fluvium pertinebat, ab una parte murum habens ad ripam fluminis, qua urbs erat condita, altera utrinq; excurrens ſurſum ad vertices; duo autem erant inter ſe cognati & turribus præclare muniti. Ἐν δὲ τῷ περιβόλῳ τούτῳ βασίλεια τ᾽ ἐςὶ καὶ βασιλέων μνήματα. (*b*) *In his mœnibus Regia erat Regumque monumenta*; quondam enim Regibus Ponti conceſſa Amaſia. Atque hæc Regia, ſive Regum monumenta videntur in nummo, ita tamen ut eis inſiſtat Aquila, Romani ſignum imperii: νυνὶ δ᾽ ἐπαρχία ἐςί, (*c*) *tunc enim in formam Provinciæ* Romanæ *redacta erat*. Amaſiæ porro regio omnium multo ampliſſima & optima, ἔςι μέν τοι πᾶσα εὔδενδρος, (*d*) *tota erat bonis arboribus conſita*, & equis reliquoque pecori alendo commoda; hinc in ipſo nummo arbores, Solque, a quo fertilitas, conſpiciuntur. Habetur etiam *annus* CCXXVIII., qui, ſi ducatur ab autumno anni U. C. DCCXLVII., quando novam annorum æram inchoarunt (*e*) Amaſeni, incipit autumno anni U. C. DCCCCLXXIIII. (*f*), decurritque cum ſequenti, quo Alexander die X. vel XI. Martii ſuſcepit imperium.

(a) Strab. Libro XII. p. 661.
(b) Id. ibid.
(c) Id. ibid. Floruit Strabo imperante Tiberio.
(d) Id. ibid.
(e) Vid. Animad. de Trib. Poteſt. num. XXIX.
(f) Chr. 221.

Num.

Num. IIII.

. . . . . MH. N. . Alexander paludatus dextram elevans, ſiniſtra haſtam gerens, cum duabus aliis figuris in navi.



TRajectus Alexandri contra Perſas heic forte exhibetur. Dextram (*a*) itaq; manum verſus Orientem extendit Alexander, Perſarum ſeditionem innuens, eoſque extenſione & repulſu manus Provincias Romanas invadere vetans, his quaſi verbis: *ςῆτε Πέρσαι ϗ μὴ πρόσω χωρεῖτε, οὐ γὰρ συνοίσει ὑμῖν*: *State Perſæ, nec ulterius progredimini; neque enim conducet vobis*. Iniit autem hanc expeditionem tanta diſciplina (*b*), tantaque reverentia ſui egit, ut non milites ſed Senatores tranſire dicerentur. Quacumque iter legiones faciebant, Tribuni accinti, Centuriones verecundi, milites amabiles erant: *ipſum vero ob hæc tot & tanta bona Provinciales ut Deum ſuſpiciebant*. Jam vero ipſi milites juvenem Imperatorem ſic amabant, ut fratrem, ut filium, ut parentem: veſtiti honeſte, calceati etiam ad decorem, armati nobiliter, equis etiam inſtructi, & ephippiis ac frenis decentibus, prorſus ut Romanam Remp. intelligerent, quicumque Alexandri vidiſſet exercitum.

(a) Codin. de ſtat. equeſt. Juſtiniani p. 17. Orig. Conſtant.

(b) Lamprid. in Vita c. 50.

T A B. L.

Num. I.

M. ΑΥΡ. ΣΕΥ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ. *Marcus Aurelius Severus Alexander*, capite radiata corona ornato.

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Perinthiorum Neocororum*. Navis cum remigibus ſigniſque militaribus.



IMperatoris Alexandri, quum contra Perſas proficiſceretur, aut inde reverteretur, Perinthum adpulſus hoc in nummo repræſentatur. Roma itaq; profectus, ubi Illyricas gentes exercituſque luſtravit, magnis inde conlectis viribus, copias traduxit in Aſiam. E bello autem Perſico ad Germanicum vocatus, eas rurſus in Europam tranſvexit. Porro ex adverſo Aſiæ in Thracia *ἡ γὰρ Πέρινθος κεῖ-*

ται

ται μὲν παρὰ θάλατταν ἐπί τινος αὐχένος ὑψηλȣ̃ χεῤῥονήσȣ ςαδιαῖον ἐχȣ́σης τὸν αὐχένα, (a) *ad mare Perinthus sita erat in edito peninsulæ jugo ad stadii longitudinem porrecto*. Hinc etiam Severus, cujus nepos credi volebat Alexander, iterato bellorum caussa Perinthum adpulit, ut fidem facit hæc nummi (b) inscriptio : ΕΠΙΔΗΜΙΑ Β. ΣΕΤΗΡΟΤ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Adpulsus secundus Severi Perinthiorum Neocororum*. Proficiscentem itaque contra Persas Alexandrum, quasi de victoria securum, aut inde fractis hostibus revertentem excipientes Perinthii, *illi* (c) *radiatum caput* hoc in nummo affinxerunt, quod *ut* (d) *Deum suspiciebant*.

(a) Diodor. Sicul. Lib. XVI. pag. 549. D.
(b) Apud Hardu. in num. Popp.
(c) Plin. in Panegyr. Traj. c. 52.
(d) Lamprid. in Vit. c. 50.

Num. II.

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Perinthiorum bis Neocororum*. Mulier velata sedens cum spicis in dextra, & hasta sive sceptro in sinistra.


Ulier hæc Mamæa Alexandri mater esse potest, sub figura Junonis ac Cereris; mos enim obtinebat, ut Augustæ feminæ Dearum habitu effingeretur. Sedet itaque, uti Juno, cum hasta sive sceptro, tenetque spicas ad modum Cereris; nam ex fabulis (e)

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro;
Prima dedit fruges alimentaque mitia terris.

Juno (f) autem quasi a juvando dicta est; *ideo & regnis præesse dicitur*, quod hæc vita divitiis tantum studeat: *ideo etiam cum sceptro pingitur*, quod divitiæ regnis sint proximæ. *Velato etiam capite Junonem ponunt*, quod omnes divitiæ sint semper absconsæ. Alexander autem, quum puer ad imperium pervenisset, fecit cuncta cum *Matre*, *ut & illa videretur pariter imperare, mulier sancta*, inquit Lampridius (g), *sed avara, & auri atque argenti cupida*. Perinthii itaque *bis Neocori* a Caracalla facti, Alexandro ejus, ut ferebatur, filio, matrique Mamææ nummum hunc dedicarunt.

(e) Ovid. Lib. V. metamor. v. 341.
(f) Fulgent. Mytholog. Lib. II. in Junone.
(g) In Alex. c. 14.

Num.

Num. III.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΣΕΥ. ΑΛΕΞ. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Severus Alexander*, cum laurea ac pectore veſte tecto.
ΜΗΤΡΟΠ. ΤΑΡΣΟΣ Α. Μ. Κ. Γ. Β. *Metropolis Tarſus Prima Mediterraneæ*, ſeu *Majoris Ciliciæ*, *Decreto Senatus*. Hercules & Perſeus ſtantes Alexandri caput ſuſtinent.

GEmmas de calceamentis & veſtibus, quibus uſus fuerat Elagabalus, tulit Alexander: *veſte (a), ut & pingitur, alba uſus eſt, nec aurata; & erat corporis venuſtate decorus, ut hodieque in picturis & in ſtatuis* nummiſque *videmus*. Erat præterea cunctis hominibus amabilis, & ab aliis *Pius* appellabatur, ab omnibus certe ſanctus, & utilis Reip. Hinc Hercules & Perſeus, numina Tarſenſium (*b*) tutelaria, ſuſpiciendum colendumque illum exhibent. Geſtat autem Hercules clavam, quod ea res multas patraverit, leonis vero ſpolium ob *proſtratum (c) vaſta Nemees in valle leonem*. Perſeus porro talaria habet; quippe cui in Africam contra Meduſam moventi, dederunt Nymphæ caſſidem, ϰ τὰ ὑποδήματα, ὑφ᾽ ὧν οἰσθήσεσθαι διὰ τῦ ἀέρος ἔμελλεν (*d*), *& talaria, quibus in ſublime ferretur*. Porro Cilicia *Matrem (e) urbium*, ſeu Metropolim *habebat Tarſon, quam Danaes proles nobiliſſima, Perſeus locavit*. Litteras autem A. M. K., quæ in nummo conſpiciuntur, Πρώτην Μεσογείας, ſive Μεγάλης Κιλικίας, h. e. *Primam Mediterraneæ*, vel *Majoris Ciliciæ* interpretamur (*f*); alias Γ. Β., Γράμματι Βουλῆς, *Decreto Senatus*, ſive Romani, a quo titulum *Primæ*, aut cudendæ monetæ indulgentiam obtinuerit Tarſus, ſive *Senatus* domeſtici, nam & Tarſus Βουλὴν (*g*), *Senatum* habebat, cujus decreto cudi potuit hic nummus.

(a) Lamprid. in Vita c. 4.

(b) Dio Chryſ. Orat. I. Tarſ. pag. 407. C.

(c) Martial. Lib. de Spect. Epig. 6.

(d) Pauſan. Lib. III. c. 17. p. 251.

(e) Solin. c. 41. de Cilicia.

(f) Vid. Animad. in litt. A. M. K. num. Tarſi & Anazarbi.

(g) Dio Tarſ. II. p. 419. A. B.



Num.

Num. IIII.

MAMÆA ALEXANDRI MATER.

IVLIA MAMAEA AVGVSTA. Mamæa cum flore in capite, & Luna falcata aliſque ad humeros, cornucopiæ tenet in dextra, & tædam cum ſpicis in ſiniſtra.

FELICITAS PERPETVA. Mamæa cum ſceptro, inter mulierem velatam aliamque caduceum habentem ſedens, pomum ab alia coram ſtante recipit.



Deæ Iſidis habitu repræſentatur in parte nummi hujus anteriore Mamæa. Cornua (*a*) nempe addebant Iſidi, quia talis Lunæ, (quæ eadem cum Iſide), adſpectus eſt, quando falcis imagine creſcit & decreſcit; & quia bovem apud Ægyptios conſecratam habebat. Tritici (*b*) quoque & hordei frumentum, quod antea neglectim in agris, ut aliæ herbæ, naſcebatur, hominibus ignotum, Iſis inveniſſe ferebatur: hinc cornucopiæ & ſpicas tenet Mamæa. Perſeam præterea in capite geſtat; nam de ſtirpibus Ægyptiis (*c*) præcipue conſecratam Deæ cenſebant Perſeam, quod ejus fructus cordis, folium vero linguæ ſpeciem referret. Quia vero Ἶσις δὲ ἐστι κατὰ τὴν Ἑλλήνων γλῶσσαν Δημήτηρ (*d*), *Iſis ſecundum Græcorum linguam eſt Ceres*, ideo præter ſpicas tæda Mamææ data eſt. Namque *Proſerpinam* (*e*) *quum inveſtigare & conquirere Ceres vellet, dicitur inflammaſſe tædas iis ignibus, qui ex Ætnæ vertice erumpunt; quas ſibi quum ipſa præferret, orbem omnium peragraſſe terrarum*. Pinnas demum Nemeſis, quæ rurſus eadem eſt cum Iſide, *ideo* (*f*) *illi fabuloſa vetuſtas aptavit, ut adeſſe velocitate volucri cunctis exiſtimaretur*. In parte vero nummi poſteriore inter Junonem, Venerem, atque Felicitatem Mamæa exhibetur, ita ut Juno, quæ adſtat velata, dederit *illi* (*g*) *in throno ſedere & ſceptrum regium tenere;* Venus concedat ei pomum, quod, quia eſſet (*h*) formoſiſſima, judicio Paridis conſecuta erat; *Felicitas* vero, quæ pariter *Dea* (*i*) *eſt* habita, *ædem accepit, aram meruit, ſacra ei congrua perſoluta ſunt*, caduceum, felicitatis & opum ſymbolum præbeat.

(a) Diod. Sicul. Lib. I. p. 11. al. 7.
(b) Id. eod. Lib. p. 13. al. 9.
(c) Plutarch. in Iſid. & Oſir. pag. 378. C.
(d) Herodot. Lib. II. c. 59.
(e) Cicer. Orat. IIII. in Verr. c. 48.
(f) Ammian. Marcell. Libro IIII. c. 11.
(g) Albric. de Jun.
(h) Hygin. Fab. XCII.
(i) Auguſtin. de Civit. Dei Libro IV. c. 18.

TAB.

T A B. LI.

Num. I.

MAXIMINUS ET MAXIMUS.

A. K. Γ. IO. YH. ΜΑΞΙΜΕΙΝΟΣ Κ. Γ. ΙΟ. ΤΗΡ. ΜΑΞΙΜΟΣ ΚΑΙ. *Imperator Cæsar Cajus Julius Verus Maximinus, & Cajus Julius Verus Maximus Cæsar*, laureati ſeque reſpicientes.

ΕΠ. ΣΤΡΑ. ΑΥΡ. ΑΦΦΙΑΝΟΥ ΦΩΚΑΙΕΩΝ. *Sub Prætore Aurelio Aphphiano Phocæenſium*. Dioſcuri cum ſcutis, telis & aſtris.



MAximinus (*a*) de vico Thraciæ vicino, barbaro etiam patre & matre genitus, militare ſub Severo cœpit, ſub Alexandro autem Imperatore enituit, exercendis tyronibus (*b*) præfectus. Hi porro læti virtute Maximini, obtrectanteſque Alexandro, quod nihil non ex arbitrio conſilioque Matris adminiſtraret, bellumque ſegniter & timide contra Germanos gereret, πορφύραν ἐπιβαλόντες βασιλικὴν, Αὐτοκράτορα ἀναγορεύουσιν (*c*), *purpuram circumdant* Maximino, dubium ignaro, an re prius compoſita, *Imperatoremque ſalutant*, & ad recipiendum imperium cogunt. Ὁ δὲ Μαξιμῖνος ὑπὸ παντὸς τοῦ στρατοῦ Σεβαστὸς προσαγορευθείς (*d*). *Hinc exercitus eum univerſus Auguſtum appellat*. Quo facto Alexandrum cum Matre occidi Maximinus jubet. Ita *occiſo* (*e*) *Alexandro Maximinus primus e corpore militum & nondum Senator, ſine decreto Senatus, Auguſtus ab exercitu appellatus eſt, Filio ſibimet in participatum dato*, Julio nempe Maximo, quem hoc in nummo cum patre habemus. Contigit id autumno anni U. C. DCCCCLXXXVIII. (*f*). Cudit autem hunc nummum Φώκαια πόλις Ἰωνίας (*g*), *Phocæa urbs Joniæ*. Quumque Phocæenſes (*h*) primi Græcorum longis navigationibus uſi fuiſſent, ſignavit in eo Dioſcoros: οὗτοι, φησι, πρῶτοι πλοῖον εὗρον (*i*): *ipſos enim fama erat inveniſſe navigium*. Dioſcurorum inſignia fuere telum & aſtrum. Hinc

Ambo (k) haſtile gerunt, ſimili coma fulgurat aſtro.

(a) Capitol. in Vit. cap. 1.
(b) Herodian. Lib VI. c. 8.
(c) Id. ibid.
(d) Id. eod. Lib. cap. 9.
(e) Capitolin. in Maximin. cap. 8.
(f) Chr. 235.
(g) Stephan. de Urbibus.
(h) Herodot. Lib. I. cap. 163.
(i) Euſeb. Præp. Evang. Libro I. cap. 10.
(k) Stat. Theb. Lib. V. v. 439. 440.

Num. II.

ΑΥΤ. Κ. Γ. ΙΟΥ. ΟΥΗ. ΜΑΞΙΜΕΙΝΟΣ ΣΕΒ. Π. Π. *Imperator Cæſar Cajus Julius Verus Maximinus Auguſtus Pater Patriæ*, capite laureato.

ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟ. Α. Μ. Κ. Γ. Β. *Tarſi Metropolis Primæ Mediterraneæ*, ſeu *Majoris Ciliciæ Decreto Senatus*. Tres Gratiæ, quarum altera frondem myrti ſeu roſam, altera talum geſtat, ſtantes atque nectentes poſitas ſuper humeros manus.



EX hoc nummo cultas a Tarſenſibus Gratias dignoſcimus, accepto ab Eteocle Orchomenio ritu (*a*): nam Eteoclem dicebant Bœoti primum omnium Gratiis ſacra feciſſe; ac tres quidem religione ſanxiſſe adfirmabant: quæ vero eis nomina indidiſſet, neſciebant. Heſiodus autem in Theogonia, Gratias Jovis & Eurynomes filias eſſe dixit; καί σφισιν ὀνόματα Εὐφροσύνην τε καὶ Ἀγλαΐαν εἶναι καὶ Θάλειαν (*b*), *& nomina protulit, Euphroſynem, Aglaian, & Thaliam*. Eadem quoque mandavit ſuis verſibus Onomacritus. At, qui primus Gratias vel finxerit nudas, vel pingendo nudas oſtenderit, Pauſanias ſe invenire non potuiſſe ſcribit (*c*). Priſcis certe temporibus cum veſtibus eaſdem fingebant pingebantque. Hinc Smyrnæ, Pergami, & Athenis vetuſta earum ſimulacra erant omnia veſte tecta. Apud Eleos (*d*) etiam Templum erat Gratiis dedicatum, & ſigna in eo lignea, veſte inaurata; facies, manus, & pedes e candido marmore. Ἔχουσι δὲ ἡ μὲν αὐτῶν ῥόδον, ἀστράγαλον δὲ ἡ μέση, ἡ δὲ τρίτη κλῶνα οὐ μέγαν μυρσίνης. *Earum una roſam tenebat, talum altera, tertia frondem myrti exiguam*. Quæ autem foret inſignium ratio (*e*), facile conjiciat, qui adtenderit roſam itemque myrtum Veneri ſacras fuiſſe, ejuſdemque proprias pulchritudinis cauſſa; Gratias autem Veneri præ ceteris Diis adtributas. Talus vero adoleſcentulorum & Virginum ludus eſt, quibus nihil adhuc ex ſenio deceſſit gratiæ.

(a) Pauſan. Lib. IX. c. 35. p. 780.
(b) Id. ibid. pag. 781.
(c) Ibid.
(d) Id. Lib. VI. c. 24. p. 514.
(e) Id. ibid.

Num.

Num. III.

ΤΑΡΣΟΥ ΤΗΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ Α. Μ. Κ. Γ. Β. *Tarſi Metropolis Primæ Mediterraneæ* ſeu *Majoris Ciliciæ Decreto Senatus.* Victoria alata, ſupra pilam, cum ſerto & palma.



INgreſſus (*a*) Maximinus Germaniam Tranſrhenanam per ccc., vel cccc. millia barbarici ſoli vicos incendit, greges abegit, prædas ſuſtulit, barbarorum plurimos interemit, militem divitem reduxit, cepit innumeros. Et niſi Germani per amnes & paludes ad ſylvas confugiſſent, totam Germaniam in ditionem redegiſſet. Ipſe præterea manu ſua multa fecit, quum etiam paludem ingreſſus circumventus eſſet a Germanis, niſi cum equo inhærentem ſui liberaſſent. *Victa igitur Germania*, litteras Romam ad Senatum & ad Populum miſit. *Juſſit (b) præterea tabulas pingi, ita ut erat bellum ipſum geſtum, & ante Curiam proponi, ut facta ejus pictura loqueretur.* Tarſenſes vero, quo diuturnior eſſet memoria hujus Victoriæ, in nummis, quemadmodum in noſtro videmus, exhibuerunt *ſtatuas (c) Palmaris Deæ. Facies quaqua pinnis explicitis ſine greſſu pilæ volubilis, inſtabile veſtigium plantis roſcidis decitantes; nec, ut maneant, inhærent, & jam volare creduntur.*

(a) Capitol. in Vit. cap. 12. Salmaſius legendum cenſet: per triginta vel quadraginta millia.

(b) Id. ibid.

(c) Apul. Lib. II. Metamor. de Byrrhenæ domo.

Num. IIII.

ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤΡΟ. Α. Μ. Κ. Γ. Β. *Tarſi Metropolis Primæ Mediterraneæ* ſeu *Majoris Ciliciæ Decreto Senatus.* Sarapis cum calatho in capite & ſceptro in dextra ſedens; Iſis vero, intermedia Sphinge, ſtans cum flore in capite, ſiſtro in dextra, & vaſe in ſiniſtra; adſtat quoq; Clotho cum fuſo.



CUltum a Tarſenſibus Solem, fidem facit Dio (*d*) Chryſoſtomus. Sol autem idem erat cum Sarapi; unde Ægypto adjacens civitas, quæ conditorem Alexandrum Macedonem gloriatur, Sarapin atque Iſin cultu pæne adtonitæ venerationis obſervans (*e*), *omnem illam venerationem Soli ſe ſub illius nomine teſtabatur impendere;* ac *calathum capiti ejus infigebat.* Vertex autem inſignitus calatho (*f*) & altitudinem ſideris monſtrat, & potentiam capacitatis oſten-

(d) Orat. I. Tarſ. quæ eſt num. 33. p. 394. C. & 407. C.

(e) Macrob. Lib. I. Saturn. c. 20.

(f) Id. ibid.

oſtentat; quia in eum omnia terrena redeunt, dum immiſſo calore rapiuntur. Hinc Iſis, quæ & Luna, adſtat

Aſpide (a) cincta comas & ovanti perſona ſiſtro.

Inter Sarapin & Iſin conſpicua eſt

. . . . . . *Volucris (b), Leo, Virgo, triformis*
Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Quam Ægyptii (c) in omnium Templorum liminibus conlocabant; quamque (d) in Ægypto gigni teſtatur Artemidorus. Habetur & Clotho cum fuſo, quæ prima Parcarum appellari meruit, quod omnia, quæ fiunt, filorum ductioni ſimilia ſint, aliis ſuccedentibus aliis. Καθὸ καὶ νήθειν αὐτὴν οἱ πρεσβύτατοι διατυποῦσιν (e). *Hinc veteres hanc nere tradiderunt ſub involucris.* Iſis porro locum heic alterius Parcæ tenere poteſt, nempe Lacheſis; cujus nominis ratio eſt apud Phurnutum (f), quod omnia, quæ cuilibet in nativitatis primordio adtribuuntur, quaſi ſorte quadam obveniant. Unde vas ſortium Iſis habet. Quin & tertiæ, quæ Atropos dicebatur, Sarapis ipſe, quemadmodum alibi (g), unde & μοιραγέτης nuncupatus, locum implere poteſt; nam ὁ Ζεὺς δέ ἐστι καὶ ἡ μοῖρα (h), *& ipſe Juppiter*, qui idem cum Sarapi, *Parca eſt.*

TAB. LII.

Num. I.

ΑΥΤ. Κ. Γ. ΙΟΥ. ΟΥΗ. ΜΑΞΙΜΕΙΝΟΣ. *Imperator Cæſar Cajus Julius Verus Maximinus*, capite radiata corona ornato.

ΤΑΡΣΟΥ ΤΗΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ Α.Μ.Κ.Γ.Β. *Tarſi Metropolis Primæ Mediterraneæ* ſeu *Majoris Ciliciæ Decreto Senatus*. Caput muliebre velatum & turritum.



COmparet heic Tarſus velato ac turrito capite, vultuq; ad gravitatem majeſtatemque compoſito. Καί τοι Μητρόπολις ὑμῶν ἐστιν ἡ πόλις, ὥστε καὶ τὴν σεμνότητα καὶ τὸ ἀξίωμα ἔχει τὸ τῆς Μητροπόλεως. (i) *Et ſane Metropolis erat Tarſus, ut & gravitatem Majeſtatemque Metropolis haberet.* Cybelem quoque ſeu Terram ſignificare poteſt idem caput; Terra enim contra Deos irata (k) Titanas parturiſſe dicitur: Tarſenſes autem gloriabantur, καὶ ἀρχηγοὺς ἔχετε Ἥρωας, καὶ Ἡμιθέους, μᾶλλον δὲ Τιτᾶνας (l), *fuiſſe ſibi auctores Heroas, ſemideos, immo Titanas.*

(a) Val. Flacc. Lib. IV. Argon. v. 418.
(b) Auſon. in Grypho.
(c) Plutarch. de Iſid. & Oſir.
(d) Strab. Lib. XVI. p. 775.
(e) Phurnut. de Parcis.
(f) Id. ibid.
(g) Vid. Pauſan. Lib. X. cap. 24. p. 858.
(h) Phurnut. de Parcis.
(i) Dio Chryſ. Orat. I. Tarſ. p. 408. A.
(k) Albric. de Deorum imagin. in Cybel.
(l) Dio Chryſ. ead. Orat. p. 394. C.

TAB.

T A B. LIII.

Num. I.

GORDIANUS PIUS.

IMP. GORDIANVS PIVS FELIX AVG. *Imperator Gordianus Pius Felix Augustus*, capite laureato.
ADLOCVTIO AVGVSTI. Gordianus e suggestu milites adloquens.



AUtumno anni U. C. DCCCCXCI. (*a*), quum extinctis Maximinis, Pupienus etiam & Balbinus militari seditione interempti essent, (*b*) *Gordianus* adolescens, qui *Cæsar* eatenus fuerat, a militibus & Populo & Senatu & omnibus gentibus, ingenti amore, ingenti studio & gratia *Augustus est appellatus*. Hic natus est, ut plures adserunt, ex filia Gordiani senioris Imperatoris; ut unus aut duo, ex filio, qui in Africa periit. *Fuit* (*c*) *juvenis lætus, pulcher, amabilis, gratus omnibus, in vita jucundus, in litteris nobilis, prorsus ut nihil præter ætatem deesset imperio*: annos enim agebat (*d*), ut pleriq; adserunt, undecim; ut nonnulli, tredecim; ut Junius Cordus dicit, sexdecim. Auctor est Vulcatius Terentianus (*e*) Gordianum hunc, *cujus etiam nunc videmus imagines, Scipionis Africani faciem retulisse*. Quarto autem post anno (*f*), Prætextato & Attico Coss., Gordianus (*g*) aperto Jano gemino quod signum erat indicti belli, profectus est contra Persas cum exercitu ingenti & tanto auro, ut vel auxiliis, vel militibus facile Persas vincere posset. Per Syriam Antiochiam venit, quæ a Persis jam tenebatur. Illic frequentibus præliis pugnavit & vicit, Sapore Persarum Rege submoto: & post Artaxatam, Antiochiam recepit, Carras & Nisibin; quæ omnia sub Persarum imperio erant. Effectum denique est, ut Persæ, qui jam in Italia timebantur, in regnum suum pugnante Gordiano redirent, totumq; Orientem Romana Respubl. detineret. Milites igitur commendans adhortansve hoc in nummo Gordianus videtur.

(a) Chr. 238.
(b) Capitol. in Gordd c. 22.
(c) Id. c. 31.
(d) Id. c. 22.
(e) Apud eumd. ibid. cap. 21.
(f) U. C. 995. Chr. 242.
(g) Id. Capitol. c. 26. & 27.

Num.

Num. II.

ΑΥΤ. ΚΑΙΣ. Μ. ΑΝΤΟΝ. ΓΟΔΡΙΑΝΟ. ΣΕΒ. *Imperator Cæſar Marcus Antonius Gordianus Auguſtus*, cum corona radiata.
ΜΗΤΡΟ. ΠΟΝΤΟΥ ΤΟΜΕΩΣ. *Metropolis Ponti Tomis*. Mulier turrita ſtans, dextra cornucopiæ, ſiniſtra haſtam tenet, ad pedes jacet figura manibus pedibuſque præciſis.

(a) Plin. Lib. IIII. c. 11.

Hracia (*a*) altero latere a Pontico litore incipiens, ubi Iſter amnis immergitur, vel pulcherrimas in ea parte urbes habebat, Iſtropolim Mileſiorum, & *Tomos*. Gordianus autem contra Perſas proficiſcens, *quidquid* (*b*) *hoſtium in Thraciis fuit, delevit, fugavit, expulit, atque ſubmovit*. Hinc eum Tomis tamquam numen præſens corona radiata ornavit, coluitque. Porro mulier, quæ turrita ſtat, dextra cornucopiæ, ſiniſtra haſtam tenens, Genius eſt urbis; & agri fertilitatem, virtutemque militarem oſtendit. Figura vero, quæ ad ejus pedes jacet manibus pedibuſque præciſis, Medeæ Fratrem denotat. Nam ex Ponto Medea quondam profugiſſe dicitur (*c*), & in fuga Fratris ſui membra in iis locis, qua ſe parens perſequeretur, diſſipaviſſe, ut eorum conlectio diſperſa, mœrorq; patrius celeritatem perſequendi retardaret.

(b) Capitol. in Gordd. c. 26.

(c) Cicer. Orat. pro L. Manil. c. 9.

Inde (*d*) *Tomis dictus locus hic, quia fertur in illo*
Membra Soror Fratris conſecuiſſe ſui.

(d) Ovid. Lib. III. Triſt. Eleg. IX. in fine.

Num. III.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟΣ ΣΕΒ. *Imperator Cæſar Marcus Antonius Gordianus Auguſtus*, capite laureato.
ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΓΟΡΔΙΑΝΟΣ ΑΒΓΑΡΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ. *Imperator Gordianus, Abgarus Rex*. Stat Abgarus, victoriolam exhibens Gordiano in ſubſtructione ſedenti.

Bgarus Rex, qui offert heic Gordiano victoriolam, utrum Romanorum partes ſecutus, aliquid ad victorias contra Perſas contulerit, an Perſis adjunctus contra Romanos ſteterit victuſque ſit, minime quidem novimus. Parthici imperii fines (*e*) erant Euphrates, & ulterior regio; citeriora Romani tenebant, & Arabum Reguli uſque

(e) Strab. Lib. XVI. pag. 748.

usque ad Babyloniam: quorum quidam magis illis adhæserunt, quidam Romanis, quibus etiam contermini erant. Maximum exitium adtulit olim Romanis ὁ Αὔγαρος ὁ Ὀσροηνός (*a*), *Augarus Osroenus*; is namque Romanis ante fœdere junctus Pompeji tempore, barbarorum partes potius habuit; &, quum Partho studeret, simulabat se Crassi amicum. At vero Αὔγαρος Ἐδέσσης Τοπάρχης (*b*), *Augarus Edessæ Toparcha* veram iniit tenuitque cum Augusto amicitiam. Imperante autem Claudio *Rex* (*c*) *Arabum Abgarus* societatem quidem Meherdatis, quem Parthorum Regem Claudius ipse designaverat, palam induit; at in Gotarzen, qui regnum tenebat, potius inclinabat. Antoninus Pius *Abgarum* (*d*) *Regem ex Orientis partibus sola auctoritate deduxit*. Caracalla vero, quum ad eum tamquam ad amicum Augarus Rex Osroenorum fraude pellectus venisset, comprehensum conjecit in vincula, & Osroenen Rege destitutam occupavit. Abgarus autem noster, cujus regionis seu loci Rex fuerit, quasque partes in bello Gordiani cum Persis secutus sit, neque ex historia discimus, neq; ex nummo conjicere possumus. Videmus tamen illum habentem τιάραν ϗ ἀναξυρίδας, καθάπερ, ὥμαι, Πέρσαι τε ϗ Βάκτριοι, ϗ Παρθυαῖοι, ϗ ἄλλοι πολλοὶ τῶν βαρβάρων, (*e*) *tiaram & femoralia more Persarum, Bactrianorum, Parthorum, aliorumque barbarorum*.

(a) Dio Cass. Lib. XL. p. 129. E.

(b) Procop. de Bell. Pers. Lib. II. c. 12.

(c) Tacit. Libro XII. Annal. c. 12.

(d) Capitol. in Ant. c. 9.

(e) Dio Chrys. Orat. LXXI. pag. 628. B.

T A B. LIIII.

Num. I.

ΠΑΤΑΡΕΩΝ. *Patareorum*. Mulier stans cum ramo lauri in dextra, inter corvum & anguem e tripode pendentem.



Novimus, Xanthum urbem in Lycia maximam fuisse: μετὰ δὲ τὸν Ξάνθον Πάταρα ϗ αὐτὴν μεγάλην πόλιν (*f*); *post Xanthum vero Pataram*, ipsam quoq; magnam urbem, portu & templis multis instructam, a Pataro conditam. Ptolemæus Philadelphus, Ægypti Rex, quum eam auxisset, Arsinoen de Sororis nomine nuncupavit; at vero antiquum nomen postea obtinuit. *Illam* (*g*) *nobilem faciebat Delubrum Apollinis, quondam opibus & oraculi fide, Delphico simile*. Pataræ autem responsa dabat Apollo per hiemem, per æstatem apud Delum. Hinc Virgilius (*h*):

Ubi

(f) Strab. Lib. XIV. p. 666.

(g) Mela de Lycia c. 15. Lib. I.

(h) Æneid. Lib. IV. v. 144.

. . *Ubi hibernam Lyciam Xantique fluenta*
Deſerit, ac Delum maternam inviſit Apollo.

Et Servius ad hunc locum, conſtat, inquit, Apollinem ſex menſibus hiemis apud Pataram Lyciæ civitatem dare reſponſa, unde Patareus Apollo dicitur; & ſex menſibus æſtivis apud Delum. Pataræ autem, παρὰ μὲν Δελφοῖς Παρθένος ἔχει τὴν προφητείαν, ὁ Δράκων ὑπὸ τῷ τρίποδι φθέγγεται (a), quemadmodum *apud Delphos, Virgo prædicendi munere fungebatur, & Draco ſub tripode vocem edebat*. Hinc & corvus adeſt, *non (b) comes obſcurus tripodum*, &

Pendet (c) per teretes tripodas Epidaurius anguis.

(a) Lucian. de Aſtrol. p. 544. B.
(b) Stat. Lib. III. Theb. v. 506.
(c) Sidon. Apoll. Carm. XXII. v. 22.

Num. II.

ΣΤ. ΑΥ. ΣΤΡΑΤΟΝΟΙΚΙΑΝΟΥ ΤΟ Β. ΤΗΜΝΕΙΤΩΝ. *Prætore Aulo Stratoniciano iterum, Temnitarum.* Rhea, ſeu Mater magna, turrita ſedens, dextra tenet pateram, ſiniſtra innititur crotalo; ad pedes habet leonem.



CUdit Gordiano hunc nummum Τῆμνος πόλις τῆς Αἰολίδος, (d) *Temnus Æoliæ urbs*; quam ferebatur Homallus juſsus ab Oraculo condere, ubi currus axis diſſectus fuiſset, diſſectoque axi condidiſſe. Sita (e) erat ad montana, quæ ſupra agrum Cumanum, Phocæum, & Smyrnæum jacebant; quibus in locis Rhea colebatur. Nam Berecynthii Phrygia gens, & in univerſum Phryges, ac Troum illi, qui Idam accolebant, Rheam & ipſi venerabantur, eique orgia peragebant. *Eandem (f) dicunt Matrem Magnam; quod tympanum habeat, ſignificari eſſe orbem terræ; quod turres in capite, oppida; quod ſedes fingantur circa eam, quum omnia moveantur, ipſam non moveri. Leonem adjungunt ſolutum ac manſuetum, ut oſtendant eſſe nullum genus terræ tam remotum ac vehementer ferum, quod non ſubigi colique conveniat.* Ut vero aliquid de nomine *Prætoris*, quod heic & alibi paſſim occurrit in nummis, notemus, ita de eo habent Gloſſæ: Στρατηγὸς, *Magiſtratus, Duumvir, Prætor.* Στρατηγία, *Magiſtratus, Duumviratus.* Στρατηγεῖον, *Prætorium.* Στρατηγία Ῥώμης, *Prætorium, Prætura, Magiſtratus.*

(d) Steph. de Urb.
(e) Strab. Lib. XIII. p. 621.
(f) Varro Lib. XVI. Rer. Div. apud D. Auguſt. Lib. VII. de Civ. Dei c. 24.

Num.

Num. III.

ΕΠΙ ΣΤΡ. ΚΟΔΟΛΑΙΝΕΙΚΟΥ ΚΟΛΟΦΩΝΙΩΝ. *Sub Prætore* (forte ΚΑΛΛΙΝΕΙΚΟΥ) *Callinico Colophoniorum*. Apollo ſedens cum lyra inter Minervam & Muſam ſtantes.

QUemadmodum olim Germanicus relegit Aſiam, *adpulitq; (a) Colophona, ut Clarii Appollinis oraculo uteretur*; ita Gordianus contra Perſas proficiſcens illuc acceſſiſſe credi poteſt. Ἡ Κολοφὼν πόλις Ἰωνικὴ, καὶ τὸ πρὸ αὐτῆς ἄλσος τοῦ Κλαρίου Ἀπόλλωνος, ἐν ᾧ καὶ μαντεῖον ἦν πότε παλαίον (*b*). *Erat Colophon urbs Joniæ, & ante eam Clarii Appollinis lucus, in quo vetus quondam oraculum fuit*. Hujus fanum (*c*) Manto Tireſiæ filia fugiens victores Thebanorum Epigonos, & Colophonem Mopſus ejuſdem Mantus filius ſtatuit ad promontorium non procul a Cayſtri oſtiis. In ipſo Apollinis ſpecu lacuna erat, *cujus potu mira*, inquit Plinius (*d*), redduntur *oracula, bibentium breviori vita*. Ceterum hoc in nummo cum lyra factus eſt Apollo, adſtat & Muſa cum Minerva. Μουσικὸς δὲ καὶ κιθαριστὴς παρεισῆκται κ. λ. (*e*), *Muſicus* nempe *& cithariſta* Sol, ſeu Apollo *fingitur*, quod debita menſura radiis feriat & regat omnes mundi partes; nec non efficiat, ut mutuo concentu cum omnibus ſuis partibus conſentiens & concinnus ſit mundus: unde & μουσηγέτης ἐκλήθη καὶ ἐπίσκοπος καὶ παίζειν μετὰ τῶν μουσῶν ἐνομίσθη (*f*), *Muſarum Antiſtes & Epiſcopus dictus eſt, & jocos cum Muſis celebrare creditus eſt*: eique addita heic Minerva, quum & ipſa tibiarum ſonum (*g*) invenerit, & comes Apollinis Muſarumque præſes ratione ſtudiorum haberetur.

(a) Tacit. Lib. II. Ann. c. 54.
(b) Strab. Lib. XIV. in Ionia.
(c) Mela Lib. I. cap. 17.
(d) Lib. II. c. 103.
(e) Phurnut. de Appoll.
(f) Id. ibid.
(g) Diodor. Sicul. Lib. V. Bibl. Hiſt. pag. 235. B. quæ eſt pag. 340. edit. Hanov. an. 1604.

Num. IIII.

ΣΑΜΙΩΝ. *Samiorum*. Juno cum calatho in capite & fulcris, una cum Nemeſi, ſtans.

FAnum Junonis (*h*), quod Sami erat, fuerunt, qui dicerent, Argonautas ipſos ædificaſſe, ac ſimulacrum Argis detuliſſe. At vero Samii, natam in inſula Deam tradebant ad flumen Imbraſum & ſub vitice, quæ in Junonio adhuc Pauſaniæ ætate, qui imperante Antonino Pio floruit, oſtendebatur. Εἶναι δ᾽ οὖν τὸ ἱερὸν τοῦτο ἐν τοῖς μάλιστα ἀρχαῖον· ὅ

(h) Pauſan. Lib. VII. c. 4. p. 530.

οὐχ ἥκιστα ἄν τις καὶ ἐπὶ ἀγάλματι τεκμαίροντο (*a*) *Fuisse vero hoc Templum maxime antiquum ex ipso simulacro facile conjici poterat.* Colebant autem Samii etiam Nemesim, uti ex hoc aliisque (*b*) numismatibus constat. Nemesis vero, quæ heic frenum sive lorum tenet, eadem est cum Atropo Parca, quæ & Adastria & Opis, pœnasque iis facinoribus, quæ pœnis digna sunt, infligit. Νέμεσις δὲ ἀπὸ τῆς νεμέσεως προσηγορεύθη (*c*). *Nemesis autem ab indignatione nominatur.*

(a) Id. ibid.
(b) Vid. Select. de Camps in Decio & Valer. præterea Tab. LXI. n um. 2.
(c) Fl urnut. de Parcis.

Num. V.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟΣ ΣΕΒ. *Imperator Cæsar Marcus Antonius Gordianus Augustus*, capite laureato radiatoque, cum scuto & hasta.

ΜΗΤ. ΚΟ. ΕΔΕΣΣΕΩΝ. *Metropolis Colonia Edesseorum.* Mulier corona murali insignita, spicas tenet in dextra, sedetque in colle, inter duplicem astrum, & coram ara accensa.



URbs Mesopotamiæ *Edessa* (*d*), quæ cum vicinitate Osroenes nomen habuit ab Osroe, qui ibi quondam regnavit, paruit Regibus usque ad Caracallam, qui Osroenem (*e*) Rege per dolum destitutam occupavit. Redacta itaque in Provinciæ formam regione, *Edessam* statuit *Metropolim*, eoq; deduxit *Coloniam*, ut fidem faciunt (*f*) nummi. In hoc autem urbs ipsa sub figura mulieris corona murali insignitæ & in colle sedentis exhibetur, quod haberet *duplicem murum, interiorem atque exteriorem* (*g*), τεῖχος καὶ προτείχισμα· μοῖρα δέ τις τοῦ Ἐδέσσης περιβόλου φρούριον κέκτηται, *castellum quoque in muri parte quadam*, extra quam collis surgebat, urbi subjectæ proxime imminens. Eum olim septo complexi indigenæ ambitu urbis incluserant, ne illac facile esset hosti perrumpere. Spicas vero habet in dextra; ἔστι δὲ ἡ μὲν Μεσοποταμία παρώρειος εὐδαίμων ἱκανῶς (*h*): *quod Mesopotamiæ ad montes regio*, ubi & Edessa (*i*), *satis ferax esset.* Duplex denique aster Solem & Lunam, quorum cultus in Mesopotamia frequens, significat; aut etiam Lunum Deum Lunamque denotat; utroque enim nomine gaudebat idem apud Carras vicinam Edessæ urbem numen, & ab aliis quidem sub uno, ab aliis sub altero nomine, qua de re infra (*k*), colebatur.

(d) Procop. de bell. Pers. Lib. I. c. 17. p. 49.
(e) Dio Cass. Lib. LXXVII. pag. 7?5. D. Vid. Com. ad num. 3. Tab. LIII.
(f) Vid. num. apud Vaillant. in Colon. Tom. II. p. 48. & 49.
(g) Procop. Lib. II. de Ædif. c. 7. p. 41. D.
(h) Strab. Libro XVI. p. 747.
(i) Id. ibid.
(k) Vid. Com. ad nu. 2. Tab. LXX.

TAB.

TAB. LV.

Num. I.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΔΡΙΑΝΟΣ ΣΕΒ. Π. Π. *Imperator Cæſar Marcus Antonius Gordianus Auguſtus Pater Patriæ*, capite radiato cum ſcuto & haſta.

ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ Α. Μ. Κ. Γ. Β. *Tarſi Metropolis Primæ Mediterraneæ*, ſeu *Majoris Ciliciæ Decreto Senatus*. Minerva ſedens cum victoriola in dextra & haſta in ſiniſtra, ad cujus imam partem ſcutum.



Ordianus profectus ad Orientem, Parthis *(a)* bellum intulit, qui jam moliebantur erumpere: *quod quidem mox feliciter geſſit, prœliiſque ingentibus Perſas adflixit*. Hinc radiatus cum ſcuto & haſta hoc in nummo a Tarſenſibus exhibetur. Minerva quoque victrix ei addita eſt: quæ, *(b)* quum bellicæ artis peritia & prudentia prævalere exiſtimaretur, victoriam reportare dicebatur; prudenter enim bellum gerere victorioſum eſt. Sedere vero fingitur, quaſi manſura: καὶ ἡ Ἀθηνᾶ ἡ Φιδίου, ἅπαξ ἐκτείνασα τὴν χεῖρα, καὶ τὴν Νίκην ἐπ' αὐτῆς δεξαμένη, ἕστηκεν οὕτως ὅλῳ τῷ αἰῶνι: *(c)* quemadmodum & *Phidiæ Minerva, ubi ſemel manum extendit, eaque victoriam apprehendit, ita manſit per omne tempus*.

(a) Eutrop. Lib. IX. c. 2.
(b) Etymol. Mag. Græc.
(c) Arrian. Serm. Epict. Lib. II. c. 8.

Num. II.

ΑΥΤ. Κ. ΑΝΤ. ΓΟΔΡΙΑΝΟΣ ΣΕΒ. Π. Π. *Imperator Cæſar Antonius Gordianus Auguſtus Pater Patriæ*, capite laureato radiatoque.

ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ Α. Μ. Κ. Γ. Β. *Tarſi Metropolis Primæ, Mediterraneæ*, ſeu *Majoris Ciliciæ Decreto Senatus*. Gordianus togatus ac mulier jungentes dextram.



Ulier hæc, quæ dextram Gordiano porrigit, vel eſt *Tranquillina (d)*, quam *Romæ duxit uxorem*; vel eſt Tarſus ipſa, quæ accedenti ad urbem Gordiano *dat (e) fidei manus*. Tarſenſes itaq; nuptias concordiamq; Auguſtorum celebrant, vel obſequium fidemq; præſtant.

(d) Eutrop. Lib. IX. c. 2.
(e) Senec. in Thyeſte v. 794.

Num. III.

ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ Α. Μ. Κ. Γ. Β. *Tarſi Metropolis Primæ Mediterraneæ*, ſeu *Majoris Ciliciæ Decreto Senatus*. Minerva galeata ſtans cum haſta & clypeo in manibus.

(a) Tarſ. I. p 407. C.
(b) Lib. XIV. p. 673.
(c) Codin. de Orig. Conſtant. pag. 13.
(d) Id. ibid.

Ultam a Tarſenſibus Minervam, tradit (*a*) Dio Chryſoſtomus. Et apud Stabonem (*b*) legimus, Philoſophiæ aliiſq; diſciplinis, quarum omnium præſes habebatur Minerva, tantam navaſſe aliquando operam Tarſenſes, ut Athenas ipſas Alexandriamque ſuperarent. Minervæ ſimulacrum (*c*) haſtam tenet ad ſignificandam conſtantiam & fortitudinem; ſimiliter etiam clypeum, quod omnes inſidiæ ſapientia repellantur. Ἡ αὐτῆ γαρ ἐςι τῷ νῷ· ϗ περικεφαλαίαν διδόασιν αὐτῇ, διὰ τὸ ἐίναι τῆς σοφίας τὸ ἀκρότατον, ἀθέατον. (*d*) *Minerva enim & mens idem ſunt: galeam porro illi tribuunt, propterea quod ſapientiæ culmen ſub adſpectum non cadit.*

Num. IIII.

ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ Α. Μ. Κ. Γ. Β. *Tarſi Metropolis Primæ Mediterraneæ*, ſeu *Majoris Ciliciæ Decreto Senatus*. Leo ſubmittens bovem.

(e) Tab. XLIV. num. I.
(f) Tarſ. II. p. 416. B.
(g) Ead. Orat. p. 427. D.
(h) Pag. 417. C.

Eic liceat nobis conjecturis nonnihil indulgere, & typum hunc de Tarſo aliiſq; cum ea de Primatu contendentibus civitatibus hariolando interpretari. Jam vidimus (*e*), Tarſum in ſuis nummis ſignaſſe Leonem; ſive, ut explicavimus, quod Herculem coleret, ſive quod Caracallam adularetur. Leo itaque Tarſenſes indicare poteſt, bos alias civitates, quæ cum Tarſo de Primatu contenderant, cauſſaque ceciderant; unde & ſubmiſſus a leone bos ipſe exhibetur. Ut ut ſit: οἱ γὰρ Αἰγαῖοι φιλοτιμίαν ἀνόητον ἐπανελόμενοι πρὸς ὑμᾶς τὸ περὶ τὰς ἀπογραφὰς ἐξαμαρτάνοντες, αὐτὸν μὲν ἔπαυσαν: *Ægænſes ſtulta*, ut loquitur (*f*) Dio Chryſoſtomus, *adverſus Tarſenſes ſuſcepta æmulatione, circa publicas tabulas deliquerunt, cauſſaque ceciderunt*. Hanc autem æmulationem de Primatu fuiſſe, inferius idem Orator (*g*) notat; quum & aliquid de Solenſium, Adanenſium, ac Malotarum cum Tarſo contentione (*h*) innuiſset.

TAB.

T A B. LVI.

Num. I.

ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ Α. Μ. Κ. Γ. Β. *Tarsi Metropolis Primæ Mediterraneæ*, seu *Majoris Ciliciæ Decreto Senatus*. Hercules cum clava & spolio leonis stans ante arborem, ex qua poma ac Draco pendent.


Pud Plutarchum legimus (*a*), Theseum, ubi in finibus Epidauri Peripheten, qui pro armis utebatur clava, ideoq; *clavatus* (*b*) appellabatur, apprehendentem ipsum & vetantem progredi, congressus cum eo, interfecit, oblectatum *clava*, cepisse eam pro armis, eaque exinde usum, *ut pelle leonis Hercules*. ὥσπερ ὁ Ἡρακλῆς τῷ δέρματι τοῦ λέοντος. ἐκείνῳ μὲν οὖν ἐπίδειξις ἦν φορούμενον, ἡλίκου τὸ μέγεθος θηρίου κρατήσειεν. *Atque id erat ipsi* Herculi *indumentum, quod immanem belluam superasset, argumentum*. Ferebatur quoque Hesperides mulieres quasdam fuisse (*c*): ταύταις δὲ ἦν μῆλα χρυσᾶ ἐπὶ μηλέας, ἣν ἐφύλασσε δράκων. ἐφ' ἃ μῆλα καὶ Ἡρακλῆς ἐστρατεύσατο: *quibus mala aurea super malo arbore erant, quæ Draco custodiebat; ad quæ quidem poma aurea Hercules expeditionem fecerit*; & ea sustulerit.

(a) In Theseo.

(b) Κορυνήτης.

(c) Palæphat. de Fabul. in Hesperid.

Num. II.

ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ Α. Μ. Κ. Γ. Β. *Tarsi Metropolis Primæ Mediterraneæ*, seu *Majoris Ciliciæ Decreto Senatus*. Fortuna turrita stans, dextra navis gubernaculum, sinistra cornucopiæ tenet.


Arsenses, quum sibi propitiam crederent Fortunam, ei quoq; se litare & gratias agere debere fatebantur; hinc & nummos dedicarunt. Ἡγεῖσθε μὲν γὰρ, ὦ ἄνδρες, εὐδαίμονας ἑαυτοὺς καὶ μακαρίους ἐπειδὴ πόλιν τε μεγάλην οἰκεῖτε, καὶ χώραν ἀγαθὴν νέμεσθε, καὶ πλεῖστα δὴ καὶ ἀφθονώτατα παρ' αὐτοῖς ὁρᾶτε τὰ ἐπιτήδεια (*d*): *Existimabant itaque se ipsos felices & beatos, quod magnam inhabitarent civitatem, & bonam depascerent regionem, ac plurima apud se & copiosissima viderent necessaria*. Augustus præterea illis præstiterat (*e*) terras, leges, honorem, potestatemque

(d) Dio Chrys. Orat. Tars. I. quæ est nu. XXXIII. p. 399. A.

(e) Id. Tars. II. quæ est numero XXXIV. p. 415. D.

que circa urbem fluminis ac maris. Corona itaq; turrita in capite Fortunæ magnitudinem munitionemq; urbis ſignificat, cornucopiæ fertilitatem, temo maris fluminiſq; poteſtatem indicat.

Num. III.

IMP. CAES. M. ANT. GORDIANVS AVG. *Imperator Cæſar Marcus Antonius Gordianus Auguſtus*, laureatus.
CAES. ANTIOCH. COL. S. R. *Cæſarea Antiochia Colonia. Senatus Romanus.* Lupa pueros ſub ficu lactans.



Rbes plures fuerunt, eæq; in diſſitis inter ſe locis poſitæ, quæ Antiochiæ cognominabantur: at, quæ nummum hunc cudit, ea fuit, quæ *ad Piſidiam* dicta eſt: Ἀντιόχεια ἡ πρὸς Πισιδίᾳ καλουμένη, ἔχουσα ἀποικίαν Ῥωμαίων: (a) *hæc enim Coloniam habebat Romanam.* Hinc & Plinius (b), *inſident*, inquit, *verticem Piſidæ, quondam Solymi appellati, quorum Colonia Cæſarea, eadem Antiochia.* Teſtis vero Paullus (c) eſt, *in Piſidia juris Italici fuiſſe Coloniam Antiochenſium.* Hinc *Senatus Romanus* in nummo notatur, & ficus exhibetur, quam Ruminalem dicebant: ἐνταῦθα δὲ τοῖς βρέφεσι κειμένοις τὴν τε λύκαιναν ἱστοροῦσι θηλαζομένην (d): *juxta quam pueros* Romulum & Remum *ibi jacentes lactaſſe lupa perhibebatur.*

(a) Strab. Lib. XII. p. 577.
(b) Lib. V. c. 27.
(c) Leg. VII. Digeſt. de Cenſib.
(d) Plutarch. in Romul. p. 19.

Num. IIII.

M. ANT. ΓΟΡΔΙΑΝΟΣ ΚΑ. *Marcus Antonius Gordianus Cæſar*, capite nudo.
ΝΙΚΟΜΙΔΕΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Nicomedienſium bis Neocororum.* Mulier turrita ante Romam ſedentem ſtans cum duobus Templis in manibus.



Ummus hic cuſus eſt ante exitum anni U. C. DCCCCXCI. (e) vivis adhuc Imperatoribus Balbino atq; Pupieno; Gordianum enim nonniſi *Cæſarem* præfert. Poſt mortem itaque in Africa duorum Gordianorum, quum Senatus trepidus & Maximinum vehementius timens, ex viginti viris, quos ad Remp. tuendam delegerat, Balbinum & Pupienum Auguſtos appellaſſet (f), *tunc populus & milites Gordianum parvulum --petiverunt, ut Cæſar appellaretur, raptuſque*

(e) Chr. 238.
(f) Capitol. in Gordd. c. 22.

que ad Senatum, atq; inde in concione positus, indumento imperatorio tectus Cæsar est appellatus. Hinc Maximino aperte & libere hoste declarato (*a*), litteras Senatus ad omnes Provincias mittit, ut communi saluti libertatiq; subvenirent. Nicomedia itaque Bithyniæ urbs litteras Senatus audiens, nummum hunc Gordiano cudit; quove magis suum erga Remp. obsequium testaretur, duo illa Templa, quorum unum (*b*) Augusto, alterum Commodo (*c*) erexerat, Romæ ipsi conspicienda exhibet, seque inde *bis Neocoram* ostentat. Figura igitur, quæ sedet, armata ad modum Palladis, Roma a nobis creditur; hoc quippe habitu in nummis & aliis antiquis monumentis Urbs ipsa alibi conspicitur. Figuram vero, quæ stat, Nicomediam credimus: & Romæ quidem adsurgit, ut minor & subdita: hinc ab Ausonio (*d*) dicitur

Prima urbes inter Divum domus aurea Roma.

Et Aristides ad Asiaticas civitates (*e*) ajebat: *Quis tam puer vel tam senex delirus est, qui nesciat*, ὡς μία μὲν πόλις ἡ πρώτη καὶ μεγίστη πᾶσαν ὑφ' αὐτῇ τὴν γῆν ἔχει; *unam Urbem primam & maximam*, nempe Romam, *toti imperare terrarum Orbi*.

(a) Id. in Maximin. c. 15.

(b) Dio Cass. Lib. LI. p. 458. B.

(c) Idem Libro LXXII. p. 822. D. Vid. Com. ad nu. 3. Tab. XXX.

(d) De claris Urbib. nu. I, v. 1.

(e) Orat. de Concord. pag. 328. al. 532.



TAB.

TAB. LVII.

Num. I.

TRANQUILLINA GORDIANI UXOR.

ΦΟΥΡ. ΣΑΒ. ΤΡΑΝΚΥΛΕΙΝΑ. *Furia Sabina Tranquilina*. Caput ejuſdem.

ΕΠΙ Κ. ΑΥΡ. ΘΕΑΣΩΝΟΣ Α. ΑΔΡΙΑΝΕΩΝ. *Sub Cajo Aurelio Theaſone Archonte Hadrianeorum*. Æſculapius & Salus.



Ordiano (*a*) jam iterum & Pompejano Coſs. (*b*) bellum Perſicum natum eſt. *Quare adoleſcens Gordianus, priuſquam ad bellum proficiſceretur*, Tranquillinam (*c*) Romæ *duxit uxorem* (*d*), filiam Miſithei, doctiſſimi viri, quem cauſſa eloquentiæ dignum parentela ſua putavit, & Præfectum ſtatim fecit. Janum (*e*) inde geminum aperiens, ad Orientem profectus eſt, Parthiſque bellum intulit. Ἀδριανοὶ πόλις Μυσίας, τῆς νυῦ Βιθυνίας (*f*), *Hadriani* autem *Myſiæ, poſtea Bithyniæ populi*, nuptias gratulati, ſalutemque Auguſtis precati ſunt. Æſculapium enim & Salutem hoc in nummo exhibuerunt, eiſq; Dracones addiderunt, quia præſtare credebantur, *ut* (*g*) *humana corpora, velut infirmitatis pelle depoſita, ad priſtinum revireſcant virorem; ut vireſcunt Dracones per annos ſingulos, pelle ſenectutis exuta*. Nummus Gazæ Gallorum Regiæ ita habet (*h*) ΕΠΙ Κ. ΦΑΝ. ΘΕΜΙΣΩΝΟΣ ΑΡ. ΑΔΡΙΑΝΕΩΝ, *Sub Cajo*, ſeu *Cominio Fannio Themiſone Archonte Hadrianenſium*. Occurrit in aliis *Hadrianeorum* ſeu *Hadrianenſium* nummis (*i*) *M. Alexander* ΑΡΧ. Α. ΤΟ Β. *Archon Primus iterum*; *Menander* quoque ΑΡΧ. Α., *Archon Primus*: quare non unum tantum fuiſſe *Archontem* tum ibi, tum alibi ex aliis documentis dignoſcimus. Ipſe Hadrianus, a quo Hadrianenſes cognominati, *Athenis* (*k*) *Archon fuit*: tum etiam *Gallienus* (*l*) *apud Athenas* Ἄρχων *erat, id eſt ſummus Magiſtratus*, patrius ſcilicet, qui tamen minora curabat; majora enim Romæ reſervata erant; hæc quippe reliquis imperabat urbibus (*m*), εἷς δ᾽ οἶκος ἅπαντα ἐξηγεῖται, *& una familia*, Auguſtorum nempe, *cuncta adminiſtrabat*.

(a) Capitol. in Gordd. c. 23.
(b) An. U.C. 994. Chr. 241.
(c) Eutrop. Lib. IX. c. 2.
(d) Capitol. ibid.
(e) Eutrop. ibid.
(f) Suid.
(g) Marob. Lib. I. Saturn. c. 20.
(h) Apud Vaill. in Græcis & Harduin. in nummis Pop. & Urbium.
(i) M. Aurel. & Caracal. apud eoſ.
(k) Spartian in Vit. c. 19.
(l) Trebell. Pol. in Vit. c. 9.
(m) Ariſtid. Orat. ad Civit. Aſiatic. pag. 329. al. 533.

Num.

Num. II.

DUO PHILIPPI CUM OTACILIA.

CONCORDIA AVGVSTORVM. Capita, Philippi Patris laureati & Otaciliæ Uxoris jugata, Philippi vero filii adverſum & nudum.

P. M. TR. P. III. COS. P.P. *Pontifex Maximus, Tribunicia Poteſtate tertium Conſul Pater Patriæ*. Duo viri velati ſacra ad aram ante portam urbis facientes ſtantibus duobus aliis.



Ublato (*a*) per inſidias Miſitheo Præfecto Prætorio, in ejus locum factus eſt Philippus Arabs, humili genere natus, ſed ſuperbus: qui ſtatim & ipſi Gordiano Imperatori inſidias per milites fecit, primum averſis navibus frumentariis, deinde in ea loca deductis militibus, in quibus annona haberi non poſſet. Corrupit præterea principes; quare *imperium* (*b*) *Philippo mandatum eſt, juſſumque a militibus, ut quaſi tutor ejus Philippus cum eodem Gordiano pariter imperaret*. Suſcepto igitur imperio (*c*), quum ſe contra Gordianum ſuperbiſſime ageret, de eo publice queſtus eſt Gordianus, ſperans poſſe imperium Philippo abrogari; ſed factione Philippi minor apud omnes fuit: &, quum nec æquale imperium, nec locum Cæſaris, aut Præfecti Prætorio, aut Ducis obtinere potuiſſet, clamans e conſpectu ductus atque ſpoliatus, occiſus eſt. *Ita* (*d*) *Philippus impie, non jure obtinuit imperium*. Quumque diſcordias hoc modo foviſſet, *Concordiam* ſequi exinde videri voluit; quæ proinde paſſim in ejus nummis legitur, ita ut ſæpe loco nominis Philippi habeatur, quod in hoc ac ſequentibus factum eſt. Junctum itaq; Philippi caput cum illo Otaciliæ uxoris, eoque Philippi filii in ſignum concordiæ videtur. In parte vero nummi poſtica *Pontifex Maximus* dicitur, & ſacrificans una cum filio exhibetur; quum, etſi Chriſtiani eſſent (*e*), ut tales ii, qui nummum cuderunt, non agnoſcerent. *Conſul* etiam ac *Tribunicia Poteſtate tertium* inſcribitur, quum Kalendis Januarii anni U. C. DCCCCXCVIII. (*f*) Conſul cum Titiano proceſſiſſet, Tribuniciam vero Poteſtatem die x. Decembris ejuſdem anni *tertium* accepiſſet. *Pater Patriæ* demum de more dicitur.

(a) Capitolin. in Gordd. c. 29.

(b) An. U.C. 997. Chr. 244.

(c) Id. c. 30.

(d) Id. Capitol. ibid. cap. 31.

(e) Euſeb. Libro VI. Hiſt. Eccl. c. 34. Oroſ. Lib. VII. c. 20. Vid. Com. in nu. 2. Tab. ſeq. & 2. Tab. LIX. Vid. etiam Tillemont. Not. I. in Philipp.

(f) Chr. 245.

Num. III.

CONCORDIA AVGVSTORVM. Caput Philippi Patris laureatum conjunctum cum illo Otaciliæ, illud vero Filii, laureatum pariter, adversum.

VICTORIAE AVGVSTORVM. Duæ Victoriæ clypeum sustinentes inscriptum VOTIS X. h. e. *Decennalibus*.



AD Victoriam, quæ in aliis nummis (*a*) *Carpica* dicitur, referri hic nummus poteſt. Nam Philippus contra Carpos expeditionem ſuſcepit (*b*), qui jam Iſtro vicina loca populati erant; prælioq; conſerto, quum impreſſionem non ſuſtinerent barbari, fuga ad caſtellum quoddam facta obſidebantur: quumq; Maurorum impetum ferre non poſſent, mentionem pangendi fœderis injecerunt; quibuſcum Philippus eo non difficulter inito, diſceſſit. *Vota* porro *Decennalia* initio imperii cujuſque ſuſcipiebantur, precantibus Deos populis, ut Imperatores ſanos & incolumes Reip. ſervarent; eiſque fortunarent imperium. Finito autem decennio ſolvebantur, h. e. gratiæ Diis pro exacto imperio reddebantur; ac tum *vota decennalia ſecunda*, ſeu *vicennalia* eodem ritu ſuſcipiebantur, iterumque peracto viceſimo imperii anno ſolvebantur; ſicq; in poſterum. Hic autem mos initium habuit ab Auguſto. Nam, quum primum ei decennium imperii exiſſet (*c*), aliud quinquennium, poſt decennium, & eo finito aliud iterum decretum eſt: ac quinquies quidem, ita ut continuatis decenniis per totam vitam imperii ſummam obtinuerit. Quam ob cauſſam poſteriores quoque Imperatores, etſi non ad certum tempus, ſed per omne vitæ ſpatium iis imperium deferretur; ὅμως διὰ τῶν δέκα ἀεὶ ἐτῶν ἑώρτασαν, ὡς ϗ τὴν ἡγεμονίαν αὖθις τότε ἀνανεούμενοι (*d*), *tamen ſingulis decenniis feſtum pro ejus renovatione agebant*, *quaſi* ſc. *de novo imperium ipſum acciperent*, atque auſpicarentur, ſacris in toto orbe Romano peractis, precibuſque malorum ab ipſis Imperatoribus Req; publica averruncandorum cauſſa ubique fuſis. *Vota* porro *Decennalia*, quæ hoc in nummo inſcripta ſunt, ſuſcepta intelligi debent, non ſoluta, quippe decennium imperii neuter Philippus, quin nec ſextum complevit annum (*e*).

(a) Apud Mediob. p. 345. & Hardu. in Hiſt. Aug.

(b) Zoſim. Lib. I. Hiſt. c. 19.

(c) Dio Caſs. Lib. LIII. p. 506. E. & p. 507. A.

(d) Id. ibidem. Vid. Animadv. de Vot. X.

(e) Vid. numer. XXXII. Animadv. de Tribun. Poteſt.

TAB.

TAB. LVIII.

Num. I.

CONCORDIA AVGVSTORVM. Capita Philippi Patris laureati & Otaciliæ Uxoris jugata, Philippi vero Filii nudum & adverſum.

PONTIFEX MAX. TR. P. IIII. COS. II. P. P. *Pontifex Maximus, Tribunicia Poteſtate quartum, Conſul iterum, Pater Patriæ.* Duo Philippi in quadriga, quorum ſenior coronatur a Victoria; quadrigam vero ſequuntur duo milites cum palmis.

Xhibentur heic *Philippi duo* (*a*), *Filius & Pater*, aut quum occiſo Gordiano invaſoque imperio, *atque exercitu incolumi reducto, ad Italiam e Syria profecti ſunt*; aut, quum fugatis (*b*) Carpis pactoque cum iis fœdere Romam ovantes reverſi ſunt. Poſteriore tamen tempore cuſus eſt hic nummus; in eo enim *Tribuniciæ Poteſtatis quartum* Philippus Pater inſcribitur, quam nonniſi die IIII. Idus Decembris anno U. C. IM. (*c*) ingreſſus eſt; ac *Conſul iterum* dicitur, quem Conſulatum ſubſecutis Kalendis Januariis (*d*), filio conlega iniit.

(a) Eutrop. in Brev. H. Lib. IX. c. 3.
(b) Zoſim Lib. I. Hiſt. c. 19.
(c) Chr. 246.
(d) U. C. 1000. Chr. 247.

Num. II.

CONCORDIA AVGVSTORVM. Capita Philippi Patris laureati & Otaciliæ Uxoris jugata, Philippi vero Filii laureati adverſum.

SAECVLVM NOVVM. Duo Sacerdotes ſacra ad aram ante Templum facientes, adſtantibus quatuor aliis, ac perſonante tibicine.

Nnum poſt tertium imperii Philippi (*e*) *milleſimus a conditione Romæ annus impletus eſt: ita magnificis ludis auguſtiſſimus omnium præteritorum hic natalis annus a Chriſtiano Imperatore celebratus eſt.* Nec dubium eſt, ſubdit Oroſius, quin Philippus hujus tantæ devotionis gratiam & honorem ad *Chriſtum & Eccleſiam* reportarit: quando vel adſcenſum fuiſſe in Capitolium immolataſque hoſtias nullus auctor oſtendit.

(e) Oroſ. Lib. VII. cap. 20.

(a) De Cæsar. ostendit. *Pontificum* tamen *lege hostias mactatas* tradit Victor (*a*), nummique, quorum unus hic, quem explicamus, exhibent. At id factum ab Ethnicis est, quum Deo vero gratias ageret precesque funderet Philippus, vota solvens pro SAECVLO (*b*) MILLENARIO Urbis tum completo, suscipiensque pro ineunte SAECVLO NOVO, scilicet undecimo. *Sæculum*, inquit Censorinus (*c*), *est spatium vitæ humanæ longissimum, partu & morte definitum. . . . . Sed nostri majores, quod naturale sæculum quantum esset, exploratum non habebant, ad certum annorum modulum C. statuere . . . . Igitur civile Romanorum sæculum centum annis transigitur*. Ita Censorinus, qui scribebat *Ulpio & Pontiano* Coss. (*d*), id est anno U. C. DCCCCXCI. Chr. CCXXXVIII., notatque (*e*) tum fuisse X. *sæculum*, nempe sub exitum. Præterea notat (*f*), *Ludos Sæculares* ante id tempus extra ordinem, seu centesimum quemq; annum celebratos fuisse.

(b) Num. apud Mediob. p. 346.

(c) De Die Natal. c. 5. de Sæculo.

(d) Eod. Lib. cap. 8. de annis Rom.

(e) Cap. 5. de Sæculo.

(f) Ibid.

Num. III.

PIETAS AVGVSTORVM III. ET II. COS. *Pietas Augustorum*, Philippi nempe Patris *tertium*, & Philippi filii *iterum Consulum*. Capita utriusque laureata seque respicientia.

MARCIA OTACIL. SEVERA. *Marcia Otacilia Severa*. Caput ejusdem.



Consules processere Philippus Pater *tertium* & Philippus filius *secundum* Kalendis Januariis, quæ proxime præcesserunt finem anni U. C. Millesimum: siquidem a Palilibus, h. e. a die XI. Kalendas Maji, uti mos erat (*g*), *Urbis anni numerentur*. Atq; de hoc Consulatu intelligendus est Capitolinus, ubi scribit (*h*), Philippum celebrasse *millesimum ab urbe condita annum in Consulatu suo, & filii sui*. Quo tempore, quum ethnicorum ritibus sese minime polluissent Augusti, recte eorum Pietas commendatur in hoc nummo: nam *Pietas* (*i*) *est verax Dei cultus, non cultus tot falsorum Deorum, quot Dæmonum*.

(g) Censorin. de Die nat. c. 8.

(h) In Vit. Gordd. c. 33.

(i) D. Augustin. Ep. 155. alias 52. quæ est ad Macedon.

TAB.

T A B. LIX.

Num. I.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΙΟΥ. ΦΙΛΙΠΠΟΝ ΕΥΣ. ΣΕΒ. *Imperatorem Cæsarem Marcum Julium Philippum Pium Augustum.* Caput Philippi Patris cum corona radiata.

ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ Α. Μ. Κ. Γ. Β. *Tarsi Metropolis Primæ Mediterraneæ*, seu *Majoris Ciliciæ Decreto Senatus.* Hercules Anteum constringens.



VIdimus (*a*) in Gordiano celebratam a Tarsensibus secundam & tertiam Herculis, quem præcipue colebant, victoriam: nonam heic in Philippo habemus. Ea autem hoc modo traditur (*b*). Anteus erat gigas, filius terræ, cui mater concesserat, ut quoties terræ prostratus occumberet, viribus duplicatis exsurgeret. Cum hoc Hercules pugnans in lucta, eumq; bis prosternens, comperit illum exsurgere fortiorem: *unde illum brachiis apprehendens, elevatum a terra constrinxit ad pectus, & tamdiu tenuit suspensum, donec deficiens expiraret.*

(a) Num. I. Tab. LVI.

(b) Albric. de Deor. imag.

Num. II.

ΜΑΡΚ. ΩΤΑΚ. ΣΕΒΗΡΑ ΑΥ. *Marcia Otacilia Severa Augusta.* Caput ejusdem.

ΕΠ. ΣΤ. Α. . . . . ΙΟΥ ΝΕΟΥ ΠΕΡΠΕΡΗΝΩΝ. *Sub Prætore . . . . Perperenorum.* Mulier velata sedens, cum victoria in dextra & hasta in sinistra.



TEstatur Eusebius (*c*), exstasse suo tempore Originis epistolam ad Imperatorem Philippum scriptam, *ϰ̀ ἄλλην πρὸς τὴν τούτου γαμετὴν Σεβήραν, & aliam ad uxorem ejus Severam.* Narrabat vero Beatus Leontius (*d*), Sanctum Babylam a Decio non solum, quod Christianus esset, interfectum fuisse: *ἀλλ᾽ ὅτι ϰ̀ ἐτόλμησεν ἐπισχεῖν τοῦ Βασιλέως Φιλίππου τὴν γυναῖκα, ϰ̀ αὐτὸν Φίλιππον Χριστιανοὺς ὄντας εἰσελθεῖν εἰς τὴν Ἐκκλησίαν παρανομήσαντος Φιλίππου: verum etiam quod Imperatoris Philippi uxorem, atque adeo ipsum Philippum, utrumque Christianum,*

(c) Lib. VI. Hist. Eccl. c. 36.

(d) Apud Auct. Chron. Paschal. Olymp. CCLVII

num, ab ædis ſacræ ingreſſu arcere eſſet auſus, propter perpetratum a Philippo ſcelus occiſi Gordiani. Fertur (*a*) autem, Philippum Sancto Epiſcopo paruiſſe, faſſumque errata, pœnitentiam egiſſe, ac tum demum Eccleſiam ingreſſum. Quapropter Babylas ſimul & Philippus magnas inde laudes conſecuti ſunt. In parte nummi poſteriore ipſa rurſum eſſe poteſt *Otacilia Severa* cum victoria & haſta, adeo ut aliquid conſilii ad bene gerenda bella marito etiam ipſa contuliſſe videatur. Dedicavit autem ei hunc nummum *Perperene* Æolidis (*b*), ſive Myſiæ (*c*), aut etiam Lydiæ (*d*) *civitas*, Θεοδοσιέπολις, ἤτοι Περπερίνη (*e*), *Theodoſiopolis* poſtea dicta.

(a) Euſeb. Libro VI. Hiſt. Eccl. c. 27. Syncell.
(b) Plin. Lib. V. c. 30.
(c) Strab. Lib. XIII. p. 607.
(d) Ptolem. Lib. V. cap. 2.
(e) Notit. Eccl. pag. 43.

T A B. LX.

Num. I.

M. IVL. PHILIPPVS NOBIL. CAES. *Marcus Julius Philippus Nobiliſſimus Cæſar*, capite nudo.

PRINCIPI IVVENTVTIS. Philippus paludatus inter ſigna militaria, adſtante milite.



SUmptum legimus (*f*) a Patre *in conſortium Philippum filium*; ὃν ἔτυχε τῇ τοῦ Καίσαρος ἀξίᾳ τιμήσας (*g*), *Cæſariſq; dignitate cohoneſtatum*. Et, quamvis Philippus Pater *humillimo* (*h*) *loco ortus* eſſet, Philippus tamen ejus filius *Nobiliſſimus* nuncupatus eſt, ſeu quod Patrem haberet Imperatorem, ſeu potius ad tegendam ſtirpis ignobilitatem. Primus cum hoc titulo occurrit (*i*) in quadam inſcriptione Commodus, & in ejus nummis (*k*) legitur NOBILITAS; quum quidem nobiliſſima ex ſtirpe prodiret. Hinc etiam Geta *Nobiliſſimus* (*l*) eſt dictus, quum ejus Pater Severus Commodi ſe fratrem Marcique filium nuncuparet. Maximinus autem ignobilitatis tegendæ cauſſa *Nobiliſſimum* (*m*) *Cæſarem* appellari filium Maximum permiſit. Quem ſecutus Philippus, hunc titulum invexit in nummos, fecitque Cæſarum proprium. *Principem* quoque *Juventutis* renuntiari filium ſuum, quo heres imperii deſignaretur, & inter ſigna militaria exhiberi voluit.

(f) Apud Victor. de Cæſar.
(g) Zonar. Lib. I. Hiſt. c. 21.
(h) Vict. jun.
(i) Apud Gruter. p. CCLXII. 4.
(k) Apud Mediob. & Vaillant.
(l) Grut. p. XIV. num. 13.
(m) Grut. p. CLI. 5. & CLVIII. 6.

Num.

Num. II.

Μ. ΙΟΥΛ. ΦΙΛΙΠΠΟΣ ΚΑΙ. *Marcus Julius Philippus Cæſar*, capite nudo.

ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Hierapolitarum*. Diana multimammia cum verubus & cervis.


Ultu quidem juvenili, gravi tamen comparet Philippus; fertur enim (*a*) adeo ſeveri & triſtis animi fuiſſe, ut jam tum a quinquenni ætate nullo prorſus cujuſquam commento ad ridendum ſolvi potuerit; Patremque ludis ſæcularibus petulantius cachinnantem, quamquam adhuc tener, vultu notaverit averſato. Ita porro illum expreſſit Hierapolis urbs Phrygiæ, ſeu inter Phrygiam ac Lydiam, ſic dicta ἀπὸ τῦ ἱερὰ πολλὰ ἔχειν (*b*), *quod Templa multa haberet*: inter quæ fuiſſe & illud Dianæ Epheſiæ, nummus hic indicat; & teſtis eſt Pauſanias (*c*) Dianam Epheſiam apud omnes urbes eodem celebratam fuiſſe cognomine, & privatim ab unoquoque præ ceteris Diis in honore habitam. De ejus autem figura, verubus & cervis (*d*) alibi dictum eſt. Poteſt etiam eſſe Rhea, ſeu *Mater Magna*, cujus apud Hierapolim meminit Plinius (*e*): quæque apud Phryges in magno erat cultu, ideoq; *Dea Phrygia* dicebatur; apud aliam vero Hierapolim, quæ in Syria erat, (*f*) Artaga aliiſque nominibus vocabatur. Rhea porro eadem eſt ac Terra, quæ, quod animantia & cetera nutricatur & ſuſtentat, ideo cum multis mammis, verubus & fulcris fingitur.

(a) Vict. jun.

(b) Strab. Libro XIII. p. 629.

(c) Lib. VI. pag. 275.

(d) In Com. ad nu. 2. Tab. X. & 2. Tab. XXIII.

(e) Lib. II. cap. 93.

(f) Phurnut. de Rhea.



Num.

Num. III.

TRAJANUS DECIUS.

IMP. C. M. Q. TRAIANVS DECIVS AVG. *Imperator Cæsar Messius Quintus Trajanus Decius Augustus*, capite radiato.

FELICITAS SAECVLI. Mulier stans cum caduceo in dextra & cornucopiæ in sinistra.

(a) Zosim. Lib. I. Hist. c. 20.



Egiones Mysorum ac Pannoniorum (*a*) Marinum ad summam rerum evexerant, quum Philippus *Decium* ablegavit in Pannoniam, castigaturum Marini factionis complices. Οἱ δὲ ταύτῃ στρατιῶται περιθέντες τῷ Δεκίῳ τὴν ἁλουργίδα, καὶ ἐφ' ἑαυτῷ λοιπὸν ὀρρωδοῦντα πρὸς τὴν τῶν πραγμάτων καὶ ἄκοντα συνωθοῦσι κηδεμονίαν. (*b*) *At locorum illorum milites amictum purpura Decium, & sibi jam metuentem, ad procurationem rerum vel invitum compulerunt*. Philippus itaq; accepto de appellatione Decii nuntio, coactis exercitibus ad eum opprimendum movit. Ubi autem concurrerunt exercitus, complures a Philippi partibus ceciderunt, inter quos & ipse. Filius quoque ejus, quem Cæsaris dignitate decoraverat, trucidatus est. Contigit hoc sub finem anni U. C. MII. (*c*) Quum autem *vir* (*d*) *artibus cunctis virtutibusque instructus* haberetur Decius, *Felicitatem Sæculi* invexisse, creditus est. Hinc ipsa Felicitas in nummo dextra caduceum εἰρηνοποιὸν (*e*), *pacis symbolum* gestat: τῇ δὲ ἑτέρᾳ τῶν χειρῶν, ἡ Θεὸς καρποὺς ἑτοίμους κατέχει συνειλεγμένους, μηνύουσα τὸ πλῆθος τῶν ἀγαθῶν, ἅπερ αὐτὴ δίδωσι (*f*): *altera autem manu Dea paratos conlectosque tenet fructus, indicans bonorum, quæ ipsa dare soleat, multitudinem*.

(b) Id. c. 21. 22.
(c) Chr. 249.
(d) Vict. jun.
(e) Phurnut. de Mercur.
(f) Dio Chrys. Orat. II. de Fortuna, quæ est LXIIII. pag. 593.

TAB.

T A B. LXI.

Num. I.

VICTORIA AVG. *Victoria Augusti*, cum serto in dextra & palma in sinistra.



Ummus hic referri potest aut ad Victoriam, quam de Philippo Decius retulit, aut potius ad illas, quas de Scythis reportavit. Transgressi enim Scythæ Tanaim, vicina Thraciæ loca prædis agendis infestabant: quos adgressus Decius; ϗ ἐν πάσαις κρατήσας ταῖς μάχαις, παρελόμενος δὲ ϗ τῆς λείας, ἣν ἔτυχον εἰληφότες (a), *omnibusq; in prœliis superior, præda quoque recepta, qua potiti fuerant,* quominus domum reverterentur, iter eis occludere conatus est, universosque ad internecionem delere cogitabat, ne denuo coactis copiis irruerent.

(a) Zosim. Lib. I. cap. 23.

Num. II.

ΑΥΤ. Κ. Γ. ΜΕ. ΚΥ. ΤΡΑΙΑΝΟΣ ΔΕΚΙΟΣ. *Imperator Cæsar Cajus Messius Quintus Trajanus Decius*, capite radiato.
ΣΑΜΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΙΩΝΙΑΣ. *Samiorum Primorum Joniæ.* Juno Samia & Nemesis stantes.



Onsecutis Primatum Asiæ Epheso atque Smyrna, Joniæ urbibus, reliqua erat Samus, cui Primatus Joniæ deberetur. Τὲς πρώτες ϗ δυνατωτάτες τῶν Ἰώνων (b), *Primos potentissimosq; Jonum* Samios pronuntiaverat olim Pericles; quemadmodum & *Joniæ nobilissimam Samum* dixit (c) Cicero. Multum vero contulit ad ejus famam Junonis *Templum*, νηὸς μέγιςος πάντων νηῶν τῶν ἡμεῖς ἴδμεν (d), *omnium, quæ Herodotus vidit, amplissimum.* Cui postea *vetustum* (e) *Asyli jus ut firmaretur*, petierunt a Tiberio Samii, decreto Amphictyonum nitentes, queis præcipuum fuit rerum omnium judicium, qua tempestate Græci conditis per Asiam urbibus ora maris potiebantur. Cultam vero a Samiis Nemesim quoque, ex hoc nummo aliisque constat.

(b) Plutarch. in Pericl. p. 167.
(c) Lib. I. ad Q. Fratr. Ep. I. c. 8.
(d) Herodot. Lib. III. cap. 60.
(e) Tacit. Libro IIII. Annal. c. 14.

Num. III.

HERENNIA ETRUSCILLA DECII UXOR.

EREN. ETRVSCILLA AVG. *Erennia Etruſcilla Auguſta*. Caput ejuſdem cum Luna ad humeros.

COL. IVL. AVG. FE. CREMNA. *Colonia Julia Auguſta Felix Cremna*. Caput Decii laureatum, inter illud Etruſci pariter laureatum, & illud Quinti nudum, inferius Aquila.



Erennia Etruſcilla, Decii filia ab aliquibus eſt credita; at poſtulantibus nummis, ut uxor ipſi Decio eſt reddita. Cremnæ quippe nummi, e quibus hic, quem inluſtramus, hinc Etruſcillam, inde Decium, provectæ utrumque ætatis cum filiis adoleſcentibus exhibent. Nummi quoque *Coloniæ Rheſæneſiorum* (*a*) L. HIP., *anno* æræ ipſorum CXVIII. percuſſi, Decium & Etruſcillam provectæ pariter ætatis conjunctim ac ſeorſim habent. Totam itaq; domum Auguſtam demereri voluit hoc nummo Κρήμνα Κολώνια (*b*), *Cremna Colonia* Piſidiæ Provinciæ: hinc etenim Etruſcillam, inde maritum Decium cum Etruſco & Quinto filiis exhibuit. Ipſum quidem Decium laurea ornatum, ut decebat, quemadmodum & Etruſcum, utpote quem *Cæſarem* (*c*) Pater fecerat, Quintum vero imperii inſignibus nondum decoratum nudo capite repræſentavit. Aquilam addidit Romani ſignum imperii, deductæq; illuc Romanarum legionum Coloniæ. Ἀετὸς χρυσοῦς καθίσταταί τε ἐν πᾶσι τοῖς ἐκ τοῦ καταλόγου στρατοπέδοις (*d*): *Erigebatur enim Aquila aurea in omnibus per delectum conſcriptis legionibus*. Et aquilam ipſam legionariam inter duo ſigna militaria in nummo (*e*) Elagabali Cremna cudit. *Felicem* autem ſe vocat, quod a *Julio* Cæſare conſtituta eſſet Colonia, & ab *Auguſto* frequentata, unde & eorum nomina adſcivit; tum etiam quod τὴν μὲν οὖν Κρήμναν ἄποικοι Ῥωμαίων ἔχουσι (*f*), *Romani eam Coloni tenerent*.

(a) Apud Vaillant. To. II. Col. p. 292.

(b) Ptolem. Lib. V. c. 5.

(c) Uterq; Vict.

(d) Dio Caſs. Lib. XL. pag. 128. D.

(e) Apud Vaill. in Col. Tom. II. pag. 115.

(f) Strab. Libro XII. p. 569.

TAB.

T A B. LXII.

Num. I.

HERENNIA ETRUSCILLA AVG*usta*. Caput ejuſdem cum Luna creſcente ad humeros.

PVDICITIA AVG. S. C. *Pudicitia Augusta*, ſive *Augustæ*, *Senatus Consulto*. Mulier ſedens cum ſceptro in ſiniſtra, dextraque velum faciei obducens.



Idimus (*a*) Decium cum corona radiata in capite, vidimus quoque (*b*) ejus uxorem Herenniam Etruſcillam, & nunc videmus cum Luna ad humeros: aſſimilabantur quippe Imperatores Soli, Lunæ vero eorum feminæ. Pudicitiam porro fidemque ſe marito ſervaſſe, teſtari hoc nummo voluit Etruſcilla. Nam

Nullis (c) polluitur casta domus stupris:
Mos & Lex maculosum edomuit nefas;
Laudantur simili prole puerperæ.

(a) Num. 3. Tab. LX. & 2. LXI.
(b) Num. 3. Tab. LXI.
(c) Horat. Carm. Lib. IV. v. 2.

Num. II.

AY. KAI. Γ. ΜΕΣ. ΚΤΙΝ. ΔΕΚΙΟΣ ΤΡΑΙΑΝΟΣ Π. Π. *Imperator Cæsar Cajus Messius Quintus Decius Trajanus Pater Patriæ*, capite radiato.

ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ Α. Μ. Κ. Γ. Β. *Tarsi Metropolis Primæ Mediterraneæ*, ſeu *Majoris Ciliciæ Decreto Senatus.* Leo ſubmittens bovem.



Ccurrit iterum Decius, ni potius ſit Etruſcus ejus filius, juvenili enim facie comparet; iterumq; occurrit Leo ſubmittens Bovem: nam θήρεσσι μετ' ὠμησῆσι Λέοντες, Ὅσσον ἀριστεύουσιν (*d*), *feras inter crudiferas Leones multum excellunt*. Tarſus itaque hoc typo victorias Decio gratulata eſt; quemadmodum & Claudianus (*e*) Stiliconi poſtea ita cecinit:

Obvia prosternas prostrataque more Leonum
Despicias, alacres ardent quum sternere tauros;
Transiliunt prædas humiles.


(d) Oppianus Ἁλιευτικῶν II. v. 540.
(e) Lib. II. de ejus Laud. v. 20.

Num. III.

HOSTILIANUS.


C. VALENS HOSTIL. MES. QVINTVS N. C. *Cajus Valens Hostilianus Messius Quintus*, *Nobilissimus Cæsar*, capite nudo.

PRINCIPI IVVENTVTIS S. C. *Senatus Consulto*. Apollo in longa veste sedens cum lyra & ramo lauri.



DEcii filium fuisse Hostilianum, *Messii* ac *Quinti* nomina, quæ Pater prætulit, indicant. Idem vero esse videtur cum *Quinto*, quem in nummis (*a*) habemus cum Etrusco, altero Decii filio, unaque *Cæsarem* (*b*) & corona radiata pariter insignitum conspicimus. Decius itaque Etruscum & Quintum Cæsares fecit; Etruscus autem cum Patre periit. Hinc adeptus imperium Gallus, memoriam de Decii imperio cum honore ac benevolentia usurpavit; ϗ τὸν ἔτι περιόντα τῶν αὐτȣ παίδων ἐποιεῖτο (*c*), *alterumque ex ejus filiis*, Hostilianum nempe, *adoptavit*. Hinc legimus (*d*), Patres, ubi Decii & Etrusci mortem comperere, *Gallo*, *Hostilianoque Augusta imperia decrevisse*. Progressu temporis veritus Gallus (*e*), ne qui rerum novarum studiis adsueti, regiarum in Decio virtutum memoriam aliquando suis cum animis repetentes, ejus filio summam rerum traderent, mortem homini per insidias paravit, nec adoptionis ulla nec honesti ratione habita. Victor (*f*) tamen scribit, *pestilentia atrocius sæviente Hostilianum interiisse*. In parte nummi hujus aversa eo habitu Apollo conspicitur, quo (*g*) *Pythius in longa carmina veste sonat*. Ramale quoq; laureum gestitat (*h*), *divinatrice eadem conjecturalique virga volucres ac fulgurum jactus ac ipsius meatus Cœli fulgurumque commonstrare*, ipse Apollo creditus.

(a) Num. 3. Tab. super.
(b) Apud Patin pag. 396.
(c) Zosim. Lib. I. c. 25.
(d) Apud Vict. de Cæsar.
(e) Id. Zos. ibid.
(f) De Cæsar.
(g) Propert. Lib. II. Eleg. 31.
(h) Martian. Capell. Lib. I. de Nupt. Philol.



TAB.

T A B. LXIII.

Num. I.

TREBONIANUS GALLUS.

IMP. CAES. VIBIVS TREBONIANVS GALLUS AVG. *Imperator Cæsar Vibius Trebonianus Gallus Augustus*, capite laureato.
IVNONI MARTIALI. Templum, in quo Juno, duoque leones jacentes.



Arbaros persecuti trans Danubium (*a*) Decius & Etruscus quum Galli (*b*) fraude cecidissent, *Patres Gallo Hostilianoque augusta imperia decreverunt*. Contigit hoc sub finem (*c*) anni U. C. MIIII. Sola autem pestilentia (*d*) & morbis atque ægritudinibus notus horum principatus fuit: quin & bellum (*e*) ab omnibus partibus ingruebat. Hinc *Templum Junonis Martialis*, quod in octava Urbis regione fuisse testis est Sex. Rufus, hoc in nummo exhibetur.

(a) Vict. de Cæsar.
(b) Zosim. Lib. I. c. 23.
(c) Chr. 251.
(d) Eutrop. Lib. IX. c. 5.
(e) Zosim. c. 25.

Num. II.

VOTIS DECENNALIBVS S. C. *Senatus Consulto* in laurea.



On tantum *Vota Decennalia* (*f*) initio imperii suscipi solebant, verum etiam alia vota III. Nonas Januarii singulo quoque anno pro salute & incolumitate Imperatorum nuncupabantur, & alia aliis temporibus. At pro Gallo & Volusiano frequentioribus votis opus fuit. Nam iis imperantibus nulla fere Provincia Romana, nulla civitas, nulla domus fuit (*g*), quæ non illa generali pestilentia correpta atque vacuata sit. Verum irrita ceciderunt omnia hæc vota: etenim *atrocius* (*h*) *sæviente pestilentia Hostilianus interiit*; & Gallus post initum tertium imperii annum, quum ad opprimendum Æmilianum, qui in Mœsia res novas molitus erat, profectus esset, *Interamnæ* (*i*) *interfectus est*.

(f) Vid. Com. in nu. 3. Tab. LVII.
(g) Oros. Lib. VII cap. 21.
(h) Vict. de Cæsar.
(i) Eutrop. Lib IX. c. 5.

Num.

Num. III.

VOLUSIANUS.

IMP. GALLVS AVG. IMP. VOLVSIANVS. *Imperator Gallus Augustus*, *Imperator Volusianus*, laureati.
FORTVNAE REDVCI. Imperatores togati sacrificantes ante Templum Fortunæ coronantur a togato & paludato adstantibus duobus aliis cum tibicine & bove jacente.



(a) Vict. de Cæsar.
(b) Zosim. Lib. I. c. 24.
(c) Claudian. in Panegyr. pro VI. Consul. Honor.
(d) Martial. Lib. VIII. Ep. 65.
(e) Lactant. Lib. III. Div. Instit c. 29.
(f) Vict. de Cæs.

FAtres, ubi Gallo Hostilianoque imperium detulerunt, *Volusianum (a) Gallo editum Cæsarem decernunt*: τȣ̃ Γάλλȣ συναναδείξαντος ἑαυτῷ τὸν παῖδα Οὐολȣσιανὸν Βασιλέα (*b*): *Gallus vero Volusianum ipsum Imperatorem renuntiat*. Hi porro contra Æmilianum moturi, *ob reditum (c) vovere*

Heic (d), ubi Fortunæ Reducis fulgentia late
Templa nitent.

At, quum (*e*) stultitia & error & cæcitas & ignoratio rerum atq; caussarum *Fortunæ* nomina induxerit, hæc illos audire votiq; compotes facere nequivit. Quare *Interamnæ (f) ab suis cæduntur*, spe præmii majoris ab Æmiliano obtinendi.

TAB. LXIIII.

Num. I.

IMP. CAE. C. VIB. VOLVSIANO AVG. *Imperatori Cæsari Cajo Vibio Volusiano Augusto*. Volusianus laureatus, cum sceptro aquila ornato, togaque picta, in qua ipse eques præeunte ac subsequente victoria & milite.
VIRTVS AVGVSTORVM. Volusianus paludatus & cum hasta inter signum militare & tropæum, libans supra tripodem cum bove ad pedes, coronatur a milite, personante tibicine.



(g) An. U.C. 1005. Chr. 252. vel seq.
(h) Vid. Com. ad nu. 2. Tab. XVI. & 2. Tab. XLI.
(i) Auson. in Gratiar. Act. pro Consul. suo.

COnsulem (*g*) egisse Volusianum, sceptrum consulare (*h*) prodit; victoremq; laurea, qua coronatur, & tropæum, tum etiam pictæ cum palmis Victoriæ indicant. Quin etiam pro victoriis sacra Diis facere videtur. Itaque *palmatæ (i) vestis suæ ornamenta disposuit feliciter, & bono omine*; *namque iste habitus, ut in pace Consulis est, sic*

ſic in victoria triumphantis. Ejus præterea *virtus* commendatur, & *aurea (a) corona*, *aurea patera*, *ſcipione eburneo*, *toga picta*, & *palmata tunica* inſignitur. Quæ omnia Voluſiano exhibita videntur, quum e bello contra Scythas Romam cum patre veniſſet; magnos enim (*b*) ſpiritus ob conſtitutam cum barbaris pacem Gallus gerebat: quamvis erubeſcere potius debuiſſet; non (*c*) enim cum præda tantum eis ut ſuos intra fines redirent permiſit, verum etiam quotannis certam pecuniæ ſummam dare promiſit, & ex captivis quemque nobiliſſimum per vim abduci paſſus eſt.

(a) Liv. Lib. XXX. c. 15.

(b) Zoſim. Lib. I. c. 25.

(c) Id. cap. 24.

Num. II.

IMP. CAE. C. VIB. VOLVSIANO AVG. *Imperatori Cæſari Cajo Vibio Voluſiano Auguſto*, capite laureato.
LIBERALITAS AVGG. S. C. *Liberalitas Auguſtorum Senatus Conſulto*. Mulier ſtans cum teſſera & cornucopiæ.



ÆViente peſtilentia, Gallus & Voluſianus *anxie* (*d*) *ſtudioſeque tenuiſſimi cujuſq; exſequias curarunt*. Liberalitate quoque in ſubditos, qua tum maxime opus erat, uſos eſſe Imperatores, teſtis eſt hic nummus. Cauſſa itaq; Liberalitatum „ jaciebantur in plebem parvi globu„li lignei, qui teſſeram continebant alicujus eſculenti, veſtiſve, „aut vaſis argentei aut aurei, equorumq; & jumentorum, & pe„cudum, ac mancipiorum aliarumque rerum. Σφαίρια ἁρπάσαντάς τινας ἔδει πρὸς τοὺς δοτῆρας αὐτῶν ἀπενεγκεῖν καὶ λαβεῖν τό ἐπιγεγραμμένον (*e*): *Quos globulos qui rapuiſſent adtuliſſentque ad diſpenſatores, quod inſcriptum erat, conſequebantur*. Hinc mulier in nummo cum teſſera & cornucopiæ.

(d) Apud Victor. de Cæſar.

(e) Dio Caſs. Lib. LXVI. p. 757.



Num.

Num. III.

VALERIANUS, ET GALLIENUS.

IMP. C. P. LIC. VALERIANVS P. F. AVG. *Imperator Cæſar Publius Licinius Valerianus Pius Felix Auguſtus*, pectore tenus, thorace tectus, cum laurea in capite, & globo cum victoriola in dextra.

MONETA AVGG*uſtorum*. Tres mulieres ſtantes cum cornucopiæ in ſiniſtra, bilance in dextra, ac nummorum acervo ad pedes.



Occiſis ſub finem anni U. C. MVI. (*a*) Gallo & Voluſiano Imperatoribus, *Licinius* (*b*) *Valerianus in Rhætia & Norico agens ab exercitu Imperator, & mox Auguſtus eſt factus. Gallienus quoque* filius *Romæ a Senatu Cæſar eſt appellatus.* Nobilis erat genere Valerianus (*c*), Cenſor antea, & per dignitatum omnes gradus ſuis temporibus ad maximum in terris culmen adſcendens, cujus per annos LXX. vita laudabilis in eam conſcendit gloriam, ut poſt omnes honores & Magiſtratus inſigniter geſtos, *Imperator fieret*, non, ut ſolebat, tumultuario populi concurſu, non militum ſtrepitu, ſed jure meritorum, & *quaſi* (*d*) *ex totius orbis*, quem proinde manu geſtat, *una ſententia*. Hinc *Pius* dicitur, quum *amicus bonorum*, (*e*) *inimicus tyrannorum, hoſtis criminum, hoſtiſque vitiorum* perpetuo exſtitiſſet. *Felicem* etiam, quum adhuc privatus eſſet, *Senatus* (*f*) pronuntiaverat. Imperator vero factus thoracem ad defendendam ab ingruentibus hoſtibus Remp. retinet; & Monetæ abundantiam integritatemq; promittit. Typo itaque utriuſq; partis hujus nummi fidem facere voluit Valerianus Monetæ Auguſtæ, ei ſcilicet, quæ ipſius vultu & nomine inſignita erat; etenim *illius* (*g*) *pecuniæ uſus interdicebatur, a qua vultus Imperatoris aberat*.

(a) Chr. 253.
(b) Eutrop. Lib. IX. c. 7.
(c) Trebell. Poll. in princ. Vitæ.
(d) Id. ibid.
(e) Id. ibid.
(f) Id. cap. 2.
(g) Vulpian. J.C. L. 34. ff. de Pignerat. Act.

TAB.

T A B. LXV.

Num. I.

IMP. C. P. LIC. VALERIANVS P. F. AVG. *Imperator Cæſar Publius Licinius Valerianus Pius Felix Auguſtus*, capite laureato.

ORIENS AVGG. S. C. *Oriens Auguſtorum*, *Senatus Conſulto*. Sol radiatus cum flagro.



Alerianus, animadverſo periculo, quod imperio Romano cunctis ex partibus immineret, αἱρεῖται Γαλλιηνὸν τὸν παῖδα τῆς ἀρχῆς κοινωνόν· ἐνοχλουμένων δὲ τῶν πραγμάτων ἁπανταχόθεν, αὐτὸς μὲν ἐπὶ τὴν ἑῴαν ἤλαυνε Πέρσαις ἀντιστησόμενος, (*a*) *Gallienum filium imperii conſortem fecit* ; *& rebus undique urgentibus*, *ipſe verſus Orientem movit*, *ut Perſis reſiſteret*. Romani itaque, quum ſperarent, ſibique promitterent victorias atq; ſplendorem, orientem radiantemq; ſolem exhibuerunt: quumque clades Perſis precarentur, flagrum addiderunt. At contra accidit: & quemadmodum Δύσετό τ' ἠέλιος, σκίοων τότε πᾶσαι ἀγυιαί, (*b*) *occumbens* Sol *tenebras per vicos ſpargit*, ita capto a Perſis Valeriano, *quaſi* (*c*) *ventis undiq; ſævientibus*, *parvis maxima*, *ima ſummis orbe toto miſceri* conſpecta ſunt.

(a) Zoſim. Lib. I. cap. 31.

(b) Phurnut. de Apollin.

(c) Vict. de Cæſ. in Gallieno.

Num. II.

IMP. C. P. LIC. VALERIANVS P. F. AVG. *Imperator Cæſar Publius Licinius Valerianus Pius Felix Auguſtus*, capite laureato.

CONCORDIA AVGVSTORVM. Capita Gallieni & Saloninæ Uxoris ſe reſpicientia.



Uptias concordiamq; Gallieni & Saloninæ, de quibus infra, Valeriano Romani gratulantur. Ὁ δὲ γάμος ὁ ἀγαθὸς τί ἄλλο ἐστὶν ἢ ὁμόνοια ἀνδρὸς πρὸς γυναῖκα; καὶ ὁ κακὸς γάμος τί ἄλλο ἐστὶν ἢ ἡ τούτων διχόνια (*d*); *Nuptiæ etenim bonæ quid aliud ſunt*, *quam concordia viri cum uxore? & malæ nuptiæ quid aliud ſunt*, *quam horum diſcordia?*

(d) Dio Chryſ. Orat. ad Nicomedien., quæ ſt XXXVIII. pag. 472. D.

Num. III.

ΑΥ. ΚΑ. ΠΟ. ΛΙ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟΣ ΑΥ. ΚΑ. ΠΟ. ΛΙΚΙ. ΓΑΛΛΙΗΝΟΣ. *Imperator Cæsar Publius Licinius Valerianus*, *Imperator Cæsar Publius Licinius Gallienus*. Caput Valeriani laureatum, & illud Gallieni radiatum ſeſe reſpicientia.

ΚΛΕΟΒΟΥΛΟΣ ΤΗΜΕΝΟΘΥΡΕΥΣΙΝ. *Cleobulus Temenothyrenſibus*. Imperatores libantes coronantur a ſupervolante Victoria.

Ebus undique urgentibus Valerianus verſus Orientem movens, Europæos exercitus Gallieno tradidit, cohortatus eum, cum iis ut copiis ſemet irruentibus undique barbaris opponeret. Sacra porro Diis facientes Imperatores exhibuit, coronavitque quaſi de victoria ſecuros Λυδίας τῆς ἄνω πόλις οὐ μεγάλη Τεμένου θύραι (*a*), *Lydiæ ſuperioris urbs haud magna*, *Temeni Thyræ*, ſeu *portæ* dicta. Itaque

Per (*b*) *dextram lævamque tenens Victoria partem*
Altius erectis pendebat in aere pennis.

(a) Pauſan. in Attic. c. 35.

(b) Coripp. de Palat. Juſtin. Jun. Lib. III. nu. 6.

T A B. LXVI.

Num. I.

ΑΥ. Κ. ΠΟ. ΛΙΚ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟΣ. *Imperator Cæſar Publius Licinius Valerianus*, capite radiato.

ΚΩΡΥΚΙΩΤΩΝ ΑΛΥ. ΝΑΥΑΡΧΙΣ. *Coryciotarum* (ΑΣΥ.) *Aſylum Navarchis*. Bacchus ſtat ante urnam tripodi impoſitam, & in qua caduceus, palma & ſpica inſunt, ac legitur ΘΕΜ., potius ΘΕΟ. ſc. Θεογάμια, h. e. *Deorum nuptiæ*.

N Cilicia *juxtaque* (*c*) *mare Corycos*, *eodem nomine oppidum & portus* & *ſpecus*, Aſyli jus habens & Navarchidis, ut alii nummi (*d*) confirmant. *Ea* (*e*) ſcilicet *religione & eo jure ſancto*, *quo ſunt Templa*, *Aſyla Græci appellant*. Urbes vero Ναυαρχίδες erant, quæ cœtum habebant naviculariorum (*f*), eiſq; onus frumentarii commeatus incumbebat; unde privilegiis honoribuſque gaudebant. Bacchum (*g*) porro cum Cerere, cujus index ariſta, jungebant veteres, quod *ab* (*h*) *his cibus & potio venire* credebantur. Hinc etiam a Virgilio ſimul invocantur (*i*) *Liber & alma Ceres*: & *Coryciotæ* ludos utriq; ſimul exhibuiſſe ex hoc nummo videntur.

(c) Plin. Lib. V. c. 27.

(d) Apud Hardv. Pop. & Urb. & Vaillan. in Græc. Muſ. Theup. pag. 1078.

(e) Liv. Libro XXXV. c. 6.

(f) Vid. Animad. de Urb. Navarc.

(g) De Bacchi adtribut. vid. Com. in num. 4. hujus Tabul.

(h) Varr. Libro I. de Re R. c. 1.

(i) Georg. I. v. 7.

Num.

Num. II.

ΑΥΤ. Κ. Π. ΛΙΚ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟΣ. *Imperator Cæſar Publius Licinius Valerianus*, capite laureato.

ΕΠΙ Σ. ΑΥΡ. ΔΑΜΑ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΤΡΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Sub Prætore Aurelio Damaſia Pergamenorum Primorum ter Neocororum*. Menſa, ſupra quam corona inſcripta Α. ΟΛΥΜΠΙΑ, inter duos lebetas cum palmis, ſubtus vas anſatum cum duobus aliis vaſculis obtortis.



INfamia publica Pergameni (*a*) a Macrino notati, ab Elagabalo, aut certe ab Alexandro (*b*) *Primorum* ac *ter Neocororum* titulis, quibuſcum heic comparent, iterum decorati ſunt. Celebrarunt quoque imperante Valeriano ludos *Olympicos*, ut fidem facit hic nummus. Strabo (*c*) autem omittenda arbitratur vetuſta, quæ de inſtitutione certaminis hujus Olympici feruntur, aliis nempe auctorem horum facientibus Herculem, unum de Idæis Dactylis; aliis Herculem Jovis & Alcmenæ filium, qui & certaverit primus & vicerit: nam talia ſolent & varie dici, & non admodum credi. Hinc ipſe tradit, Ætolos, qui cum Heraclidis Duce Oxylo redierunt, quum ſe ob vetuſtam generis propinquitatem Epeis conjunxiſſent, cavam Elidem auxiſſe, magnamque Piſatæ ditionis partem ſui juris feciſſe, quemadmodum & Olympiam: Καὶ δὴ καὶ ὁ ἀγὼν εὕρημά ἐςιν ἐκείνων Ὀλυμπιακὸς, καὶ τὰς Ὀλυμπιάδας τὰς πρώτας ἐκεῖνοι συνετέλουν: *quin & certamen Olympicum instituiſſe, & Olympiades primas celebraſſe*. Receptum inde eſt hoc certamen editumque a pluribus populis, inter quos Pergameni fuerunt: qui & plura victoribus præmia propoſuiſſe ex hoc nummo videntur. In eo enim eſt *corona* (*d*) ex *oleaſtro Olympiæ* propria;

Seu (e) quis Olympiacæ miratur præmia palmæ.
Tertia (f) dona facit geminos ex ære lebetas
Cymbiaque argento perfecta atque aſpera ſignis,

σὺν (*g*) οἰνηραῖς φιάλαις, ἀργυρέων (*h*) κεράτων, *cum vinariis phialis argenteorum cornuum*. Litteram A. interpretari poſſumus *Prima*, ſive ΑΚΤΙΑ, *Actia* (*i*); ſive etiam ΑΣΚΛΗΠΙΑ, *Aſclepia*, aut *Æſculapia* Certamina. Erant etiam alia Certamina, quorum nomina a littera A incipiebant. *Aſclepia* edita occurrunt (*k*) *Pergami*, eratq; hæc urbs tota addicta *Æſculapio*.

(a) Dio Caſs. Lib. LXXVIII. pag. 897. C.
(b) Num. apud Vail. & Harduin.
(c) Lib. VIII. p. 424. 245.
(d) Pauſan. Lib. V. c. 20. p. 427. Plin. Lib. V. cap. 4
(e) Virgil. Libro III. Georg. v. 49.
(f) Id. Æneid. Lib. V. v. 266.
(g) Pindar. Od. X. Nemeæ v. 81.
(h) Idem apud Athen. Lib. II. in Centaur.
(i) Vaill. in Græcis Valeriani.
(k) Marm. Oxon. vid. Spanhem. ep. ad Morell. Tab. 13 ſpecim. ann. 1683.

Num. III.

ΕΦΕΣΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑΣΙΑΣ. *Epheſiorum Primorum Aſiæ.* Juppiter ſedens cum Diana Epheſia in dextra & haſta in ſiniſtra.



Stentat heic Juppiter Dianæ Epheſiæ ſimulacrum, quod ipſe e Cœlo demiſiſſe ferebatur. *Quis eſt hominum*, inquit in Actis Apoſtolorum (*a*) Scriba Epheſius, *qui neſciat* Epheſiorum *civitatem cultricem eſſe Magnæ Dianæ*, καὶ τοῦ Διοπετοῦς *e cœlo delapſæ*, ſive, ut habet Vulgata, *Jovis prolis?* Qui igitur (*b*) apud Græcos ſtatuas fecerunt, quo ſpectatoribus metum religionemque incuterent, dixerunt, ſimulacrum a Jove demiſſum multo præſtantius eſſe, quam ut ſumptibus & manibus hominum fieri potuerit; unde e cœlo delapſum & cœleſte vocarunt, quod excellentius eſſet, quam ut mortalem aliquem auctorem agnoſceret. Id autem hunc in modum divulgarunt; ſcilicet vel ſtatuarios interfecerunt, vel in exilium egerunt, ne ſimulacrum manu humana fabricatum eſſe proderent; operamque dederunt, ut falſus hic rumor ad aures eorum, qui decepti erant, perveniret. Ἥτις καὶ τὴν Ἐφεσίων ἐπλάνα πόλιν: *& hoc pacto Epheſiorum quoque civitati impoſuerunt.*

(a) Cap. XIX. v. 35.

(b) Suid. in Lexico voce, Διοπετές

Num. IIII.

ΑΙΓΕΑΙΩΝ ΝΕΩΚ. ΝΑΤΑΡ. ΕΤ. Ξ. *Ægæorum Neocororum Navarchidarum anno* (forte T. *centeſimo*). Bacchus ſeminudus & uvis coronatus, dextra tenet cantharum, ſiniſtra thyrſum, hinc inde tigris.



N Cilicia poſt Mallum Αἰγαῖαι πολίχνιον ὕφορμον ἔχον, (*c*) *Ægæ oppidulum cum ſtatione*, Navarchidis munere decoratum. Hinc Lucanus (*d*): *Externæ reſonant navalibus Ægæ.* Idem oppidum Neocori quoque ſeu ſacri honore & privilegiis inſigne, Bacchi cultui addictum heic comparet. In nummo Bacchus

Ipſe (e) racemiferis frontem circumdatus uvis,
Pampineis agitat velatam frondibus haſtam;
Quem circa tigres.
Cantharus (f) & thyrſus dextra lævaque feruntur;
Nec tegit exertos, ſed tangit palla lacertos.

(c) Strab. Lib. XIIII. pag. 676.

(d) Lib. III. v. 227

(e) Ovid. Lib. III. Metam. de Baccho v. 666.

(f) Sidon. Carm. XXII. v. 31.

Veremur

Veremur autem, ne male littera Ξ post ET., ſc. *annus* LX. heic exhibeatur, quum ſaltem ET. T., ſc. *annus* CCC. eſſe debuiſſet: novæ enim epochæ initium ducebant Ægæi ab autumno anni U.C. DCCVII. (*a*), adeo ut autumno anni U.C. MVI. (*b*) numerare inciperent *trecenteſimum*: Valerianus autem nonniſi hoc inito factus eſt Imperator: tenuit vero imperium produxitque uſque ad annum Ægæorum ZT. *trecenteſimum ſeptimum*, qui cœpit autumno U.C. MXIII. (*c*), quique in ejuſdem Valeriani nummis (*d*) legitur.

(a) Vid. Animad. de Trib. Pot. nu- XXXIIII.
(b) Chr. 253.
(c) Chr. 260.
(d) Apud Hardu. in num. Popp. & Vaillan. in Græc.

T A B. LXVII.

Num. I.

IMP. GALLIENVS P. F. AVG. *Imperator Gallienus Pius Felix Auguſtus* laureatus cum haſta & ſcuto, in quo Meduſa.
ADLOCVTIO AVGG*uſtorum*. Tres figuræ paludatæ e ſuggeſtu milites adloquuntur.


Allienus (*e*), *quum adoleſcens factus eſſet Auguſtus, imperium primum feliciter*, unde *Felix* in nummo dicitur, mox commode, ad ultimum pernicioſe geſſit. Juvenis (*f*) in Gallia & Illyrico multa ſtrenue fecit, occiſo apud Murſam Ingenuo, qui purpuram ſumpſerat & Trebelliano. Hinc armatus conſpicitur militeſque laudans. Adeſt cum Gallieno Pater, ſeu Frater Valerianus, qui a (*g*) *Patre abſente Cæſar eſt appellatus, a Fratre Auguſtus*, & Saloninus filius, *cui* (*h*) *honorem Cæſaris contulit* ipſe Gallienus; unaque milites adloqui videntur.

(e) Eutrop. Lib. IX. c. 8.
(f) Id. ibid.
(g) Trebell. Poll. in Valer. Jun.
(h) Vict. de Cæſar.

Num. II.

GALLIENVS PIVS FEL. AVG. *Gallienus Pius Felix Auguſtus*, capite leonina pelle tecto.
FORTVNA REDVX. Fortuna cum gubernaculo navis in dextra, & cornucopiæ in ſiniſtra.


T erat Gallienus nequam & perditus, ita etiam, ubi neceſſitas coegiſſet, (*i*) *velox, fortis, vehemens, crudelis;* hinc ad modum Herculis pelle leonis indutus exhibetur. *Fortuna Redux* adjungitur, quæ eum incolumem e bellis *reduxiſſe*, & adhuc *reductura* credebatur. Auguſtus victo Antonio, τύχῃ τε ἐπαναγώγῳ βωμὸν ἱδρυθῆναι (*k*), *Fortu-*

(i) Treb. Poll. in XXX. Tyr. c. 9.
(k) Dio Caſs. Lib. LIIII. p. 527. D.

Fortunæ Reduci aram consecrari, diemque sui reditus in urbem inter ferias referri voluit. Quippe proficiscentes ad bella Imperatores, vota pro imperio suo (*a*) communique Populi Romani nuncupabant; reversi autem vota solvebant *Fortunæ Reduci*.

(a) Cicer. VII. in Verr.

Num. III.

IMP. GALLIENVS PIVS FELIX AVG. *Imperator Gallienus Pius Felix Augustus*, capite laureato.
MONETA AVG. *Moneta Augusti*. Tres Monetæ.



Requenter *Pius* & *Felix*, immerito tamen dicitur Gallienus; nam, si *Pius* (*b*) *cognominatus est a Senatu* Antoninus, quod socerum fessa jam ætate manu, præsente Senatu levaverit, impius dici *debuit Gallienus*, (*c*) qui *comperta Patris captivitate gavisus est*, eumque ignominiosissima apud Persas servitute senescere passus est. Nec etiam *Felix* dici meruit; Valeriani enim & Gallieni *imperium* (*d*) *Romano nomini perniciosum*, & *pæne exitiabile fuit*, *vel infelicitate Principum*, *vel ignavia*.

(b) Capitol. in Anton. c. 2.

(c) Treb. Poll. in princ. Vitæ.

(d) Eutrop. Lib. IX. c. 7.

T A B. LXVIII.

Num. I.

CONCORDIA AVGG. *Concordia Augustorum*. Capita Gallieni & Saloninæ Uxoris adversa.
AEQVITAS PVBLICA. Tres Monetæ.



Oncordiam cum uxore ostentat Gallienus; qui quidem amavit *Saloninam conjugem*, at fuit (*e*) etiam *amori diverso pellicum deditus* & *concubinæ*, quam per pactionem concessa parte superioris Pannoniæ, a Patre Marcomannorum Rege matrimonii specie susceperat, Pipam nomine. Æquitati quoque publicæ provisum integritate monetarum testari voluit parte hujus nummi aversa Gallienus; quippe sciebat, *omnino* (*f*) *Monetæ deberi integritatem quæri*, *ubi* & *vultus Principis inprimitur*, & *generalis utilitas invenitur*.

(e) Vict. jun.

(f) Cassiodor. Lib. VII. Ep. 32.

Num.

Num. II.

CONCORDIA AVGVSTORVM. Caput Gallieni laureatum & illud Valeriani Fratris nudum.

ADVENTVS AVGG. *Adventus Augustorum*. Gallienus & Valerianus laureati & equites inter signa militaria, præcedente Victoria, ac subsequentibus militibus.

HEic cum Gallieno fratrem ejus Valerianum, alia (*a*) tamen matre genitum, qui *est appellatus a fratre ipso Augustus*, quique a Gallieni dissolutione sejunctus fuit, repræsentari credimus. Ac forte eorum Romam *adventus* exhibetur, quum interfectis, qui Byzantium vastaverant, militibus, Gallienus, quasi magnum aliquid gessisset, *Romam* (*b*) *cursu rapido convolavit*, convocatisq; Patribus, decennia celebravit, novo genere ludorum, nova specie pomparum, exquisito genere voluptatum. Jam (*c*) primum inter togatos Patres *& equestrem ordinem*, *& albatos milites*, *& omni populo præeunte*, servis etiam prope omnium & mulieribus cum cereis & facibus & lampadibus præcedentibus, Capitolium petiit. Omnes viæ ludis strepituque & plausibus personabant: ipse medius cum picta toga & tunica palmata inter Patres, omnibus Sacerdotibus prætextatis ibat. *Hastæ auratæ altrinsecus quingenæ*, *vexilla centena*, præter ea, quæ Conlegiorum erant, dracones & signa Templorum omniumque legionum ibant. Hac pompa homo ineptus eludere se credidit Populum Romanum.

(a) Treb. Poll. in Valer. jun.

(b) Id. Treb. Poll. in Gall. c. 7.

(c) Cap. 8.



Num.

Num. III.

SALONINA GALLIENI UXOR.

CORNELIA SALONINA AVG*usta*. Caput Saloninæ.
IVNO REGINA. Juno ſtans cum ſceptro & patera.



Onvenit hic typus Saloninæ; nam, quemadmodum querebatur Juno, quod maritus ejus Juppiter alias alioſque deperiret, ita queri poterat Salonina, quod Gallienus popinas ganeaſque obiens, lenonum ac vinariorum amicitiis hæreret, *expoſitus* (*a*) quoque *amori flagitioſo filiæ Attali Germanorum Regis*, *Pipæ nomine;* qua cauſſa etiam civiles motus orti. Quare cum Junone dicere poterat Salonina (*b*):

Cur igitur Regina vocor,
Aurea cur dextræ ſceptra dedere meæ?

(a) Vict. de Cæſar.

(b) Apud Ovid. Lib. VI. Faſtor. v. 37.

T A B. LXIX.

Num. I.

ΚΟΡΝΗΛΙΑΝ ΣΑΛΩΝΙΝΑΝ ΣΕΒ. *Corneliam Saloninam Auguſtam*. Caput ejuſdem, cum Luna creſcente ad humeros.
ΣΙΛΛΥΕΩΝ ΣΕΒ. *Sillyeorum Sebaſtenorum* ſeu *Auguſtanorum*. Mulier turrita rupibus inſidens ſcorpionemque in dextra tenens, emergente pro pedibus fluvio.



Nus, quantum ego ſcio, *Sillyeorum* meminit his verbis Stephanus (*c*): Σίλλυος πόλις Ἰωνίας, πρὸς τῇ Σμύρνῃ· τὸ ἐθνικὸν Σιλλυεῦς: *Sillyus urbs Joniæ juxta Smyrnam; gentile Sillyei*. Ex hoc autem nummo dignoſcitur, montoſam fuiſſe urbem, imminentemque flumini, (ut credimus), Hermo; nam per agrum Smyrnæum ὁ Ἕρμος ῥεῖ (*d*), *Hermus fluebat*. Scorpionibus quoque abundaſſe regio videtur, iiſque ad aliquod medicamentum (*e*) uſa credi poteſt. Mulier porro, quæ turrita ſedet, Ceres ſeu Terra eſt; & quoniam cujuſq; urbis ſedes terra eſt, ὡς βαςάζουσα τὰς πόλεις, πλάττεται πυργοφόρος (*f*), *quaſi urbes geſtaret*, *turrita fingitur*.

(c) De Urbib.

(d) Strab. Libro XIII. p. 621. D.

(e) Vid. inter alios Plin. Lib. XXIX. c. 4. & XXX. c. 8.

(f) Codin. de Origin. Conſtant. p. 14. de Sign., & Stat.

Num.

Num. II.

VALERIANUS GALLIENI FILIUS.

DIVO CAES*ari* VALERIANO. Caput ejuſd. nudum.
CONSECRATIO. Suggeſtus tabernaculis compactus, quorum ſuperiora inferioribus minora & in ſummo biga.



Iphilinus, ubi Pertinacis *Conſecrationem* ex Dione (*a*) refert, notat, ἐπ᾽ ἀυτῆς τῆς ἄκρας ἅρμα ἐπίχρυσον, ὅπερ ὁ Περτίναξ ἤλαυνεν, *in ſummo rogi currum inauratum fuiſſe, quem Pertinax agitabat*. Hoc etiam in nummo bigam videmus a *Valeriano* agitatam. Herodianus autem de *Conſecratione* Septimii Severi agens (*b*), ipſius rogi figuram in hunc ſenſum remque noſtram deſcribit. *Suggeſtus quidam, ſpecie quadrangula, lateribus æquis aſſurgit, nulla præterquam lignorum ingentium materia compactus in tabernaculi formam. Id quidem interius totum eſt aridis fomitibus oppletum, extra autem intextis auro ſtragulis, atque eboreis ſignis, variiſq; picturis exornatum. Deſuper vero alterum, minuſculum quidem, poſitum eſt, ſed forma & ornatu perſimile, portis, januiſque patentibus. Tertium item & quartum ſemper inferiore contractius, ac deinceps alia; donec ad ſupremum, quod eſt omnium breviſſimum, perveniatur.* Principis demortui cerea imago cum lecto tollebatur, & extra urbem perferebatur in campum Martium. Ibi lecto in ſecundum tabernaculum ſublato, aromata & ſuffimenta omnis generis, fructus, herbaſque ſuccoſq; omnes odoratos conquirebant, atque acervatim effundebant. Tum circa ædificium illud adequitabant, curruſq; circumagebantur inſeſſi purpuratis rectoribus, qui perſonas ferebant Ducum omnium Romanorum Principumque inluſtrium. Hinc fax tabernaculo admovebatur, & ignis ſubjiciebatur; ac cuncta illico fomitibus illis aridis odoramentiſq; referta, igne valido corripiebantur. *Mox e ſuperiore minimoque tabernaculo, tamquam e faſtigio quodam Aquila demittebatur* (*c*), *quæ in aerem ſubmiſſo igne elata, in cælum Principis animam e terra deferre credebatur*. Καὶ ἐξ ἐκείνου μετὰ τῶν λοιπῶν Θεῶν θρησκεύεται: (*d*) *ac jam ex illo una cum ceteris Diis colebatur*. Similiter *filium Cornelium Valerianum*, quem ſenior Valerianus *Cæſarem* (*e*) *fecerat*, occiſum in Gallia conſecravit Gallienus.

(a) Lib. LXXIV. p. 842. A.
(b) Lib. IV. cap. 2.
(c) Vid. Tab. LXX. num. 1. & Tab. IV. num. 2
(d) Id. Herodian. ibid.
(e) Vict. jun. Vid. nu. 3. Tab. LXX.

Num. III.

ΠΟΤ. ΛΙΚ. Κ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟΝ ΕΥΣΕ. *Publium Licinium Cornelium Valerianum Pium*, capite laureato.

ΙΕΡΟΣ ΑΤΤΑΛΕΩΝ ΟΛΥΜΠΙΟΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟΣ. *Sacrum* Certamen *Attaleorum Olympium Oecumenicum*, in corona.



QUatuor occurrunt urbes Attaleæ, una nempe in Pamphylia, altera in Lydia, tertia in Galatia, quarta in Æolide. Quum tamen reliquis celebrior esset πόλις τῆς Παμφυλίας Ἀτταλία, ἐπώνυμος τοῦ κτίσαντος Φιλαδέλφου, (a) *Attalia Pamphyliæ, ab* Attalo *Philadelpho, qui eam condidit, cognominata*, ipsi præ ceteris convenire videtur hic nummus. Exhibet enim certamen *sacrum Olympicum* (*b*) Attaleæ peractum, idque *Oecumenicum*, ad quod nempe undequaq; confluere & in eo certare quicumque poterat; quod nonnisi celebrioribus locis concessum erat. Hujusmodi itaque certamina, ut de Panathenaico loquitur Aristides (*c*), ὑπὲρ γῆς ἁπάσης τῆς οἰκουμένης, *totius terrarum orbis caussa* celebrabantur. Unde legimus (*d*), Licinium quemdam Priscum Palæmonis diversoria, templum, ingressum, aras, aliaq; restaurasse ΤΟΙΣ ΑΠΟ ΤΗΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ ΕΠΙ ΤΑ ΙΣΘΜΙΑ ΠΑΡΑΓΕΝΟΜΕΝΟΙΣ ΑΘΛΗΤΑΙΣ, *iis, qui ab orbe terrarum ad Isthmia confluebant*.

(a) Strab. Libro XIIII. p. 667.

(b) De certam. Olymp. vid. Com. ad num. 2. Tab. LXVI.

(c) Tom. I. p. 179.

(d) In Spon. Miscell. p. 363.

TAB. LXX.

Num. I.

ΠΟ. ΛΙΚ. ΣΑΛΩΝ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟΣ. *Publius Licinius Saloninus Valerianus*. Caput ejusdem laureatum, inferius Aquila.

ΠΕΡΓΑΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΙΕΡΟΣ. *Pergæorum Neocororum sacrum* certamen. Mensa, supra quam lebes cum duobus vasculis.



VAlerianus dicitur heic *Saloninus*, deducto a *Salonina* matre nomine, quo & ab avo & a patruo Valerianis distinguitur, adeo ut a Scriptoribus solo hoc nomine sæpe nuncupetur. Aquila autem Salonini capiti supposita, ejusdem forte consecrationem denotat. Nam in *Consecratione*, ut vidimus (*e*), Aquila e supremo funebris suggestus

(e) Tabul. IV. num. 2.

gestus tabernaculo descendebat: ϗ φέρειν ἀπὸ τῆς γῆς ἐς ὀυρανὸν τὴν τοῦ Βασιλέως ψυχὴν πιστεύεται (a): *& Principis animam e terra in Cœlum deferre credebatur*. Aut etiam Πέργην τῆς Παμφυλίας (b), *Pergam Pamphyliæ*, Romanis frequentatam, seu Romano jure decoratam respicit. Quæ & *Neocoram* Dianæ se jactat, & *lebetem* ac *vasa* (c) ostentat, præmia victoribus proposita in *sacro* illo certamine, quod occasione publici sacrique Dianæ Conventus (d) singulo quoque anno celebrabatur.

(a) Herodian. Lib. IIII. c. 2.

(b) Act. Apostol. Cap. XIII. v. 13.

(c) Vid. Com. ad nu. 2. Tab. LXVI.

(d) Vid. Com. ad nu. 3. Tab. XL.

Num. II.

ΣΙΛΛΥΕΩΝ. *Sillyeorum*. Caput Salonini cum pileo Phrygio, & Luna crescente ad humeros.

SUb imagine Lunæ Saloninam superius repræsentarunt (e) *Sillyei*, heic filium Saloninum sub figura Dei Luni exhibent. Itaque non tantum Luna, sed & Lunus, θῆλυς τε ϗ ἄρσην, (f) *femina* sc. *& mas* colebatur. Sciendum, inquit Spartianus (g), doctissimis quibusque id memoriæ traditum, atq; ita nunc quoque, (scribebat circa ccc. Christi annum), a Carrenis præcipue haberi, ut qui *Lunam* femineo nomine ac sexu putaverit nuncupandam, is addictus mulieribus semper inserviat; at vero, qui *marem Deum* esse crediderit, is dominetur uxori, neq; ullas muliebres patiatur insidias. *Unde, quamvis Græci vel Ægyptii eo genere, quo feminam hominem, etiam Lunam Deam dicant, mystice tamen Deum dicunt*. Testis est etiam Strabo (h), Templum *Mensis* sive *Luni*, quod erat apud Cabira Ponti, ἔστι δὲ ϗ τοῦτο τῆς Σελήνης τὸ ἱερόν, *fuisse quoque Templum Lunæ*; ut & quod in Albanis & in Phrygia, sicut & illud *Mensis* in loco cognomine, & *Ascæi* apud Antiochiam Pisidiæ, quodque erat in agro Antiocheno.

(e) Num. 1. Tab. LXIX.

(f) Orph. in Hymn. ad Lun.

(g) In Caracall. c. 7.

(h) Lib. XII. pag. 557.



Num. III.

POSTUMUS.

IMP. C. M. CASS. LAT. POSTVMVS P. F. AVG. *Imperator Cæsar Marcus Cassius Latienus Postumus Pius Felix Augustus*, capite radiato.

VICTORIA AVG*usti*. Duæ Victoriæ olivæ arborem, sub qua duo captivi, in coronæ formam componentes.

(a) Chr. 260.
(b) Vict. de Cæs.
(c) Treb. Poll. c. 3. XXX. Tyr.
(d) Id. ibid.
(e) Id. ibid.



VAleriano capto a Persis sub finem anni U. C. MXIII. (*a*) *primus* (*b*) *omnium Postumus, qui forte barbaris per Galliam præsidebat, imperium ereptum ivit*. Saloninum (*c*) filium suum eidem Gallienus in Gallia positum crediderat, quasi custodi vitæ & morum & actuum imperialium institutori. Sed, quantum plerique adserunt, (quod ejus non convenit moribus), postea fidem fregit, & occiso Salonino sumpsit imperium. Ut autem verius plerique tradiderunt, quum Galli vehementissime Gallienum odissent, puerum vero apud se imperare, ferre non possent (*d*), *eum, qui commissum regebat imperium, Imperatorem appellarunt*; missisque militibus adolescentem interfecerunt. Ab omni igitur exercitu & ab omnibus Gallis Postumus gratanter acceptus talem se præbuit, *ut Gallias* (*e*) *instauraverit*, & *submotis omnibus Germanicis gentibus, Romanum in pristinam securitatem revocaverit imperium*.

Num. IIII.

LAETITIA AVG. *Lætitia Augusti*. Triremis cum remigibus & Præfecto, seu Imperatore manum protendente.

(f) Aristid. Orat. in Minerv., quæ est nu. 2. p. 9.
(g) Eutrop. Lib. IX. c. 9.



BEllo simul ac paci provisum a Postumo, partamque Gallis lætitiam, indicat in nummo triremis. Ἐι ϗ διχῆ πάλιν τῶν κατ' ἤπειρον, ἐν τε τὸ ἀυτὸ τὸ τῶν ναυτικῶν εἰς ἄμφω τείνει· πολεμιςήριον δὲ τὰς τριήρεις (*f*). *Eadem namq; res nautica ad utrumque pertinet; in pace quidem ad naves onerarias & mercaturam navalem, in bello autem ad triremes*. Postumus itaque per (*g*) annos decem ita imperavit, ut consumptas pæne Provincias ingenti virtute & moderatione reparaverit.

TAB.

TAB. LXXI.

Num. I.

CLAUDIUS.

IMP. C. CLAVDIVS P. F. AVG. *Imperator Cæsar Claudius Pius Felix Auguſtus*, capite laureato.
MONETA AVG. *Moneta Auguſta*. Tres Monetæ.


Nterfectis Gallieno & Valeriano fratribus menſe Martio anni U. C. MXXI. (*a*), *Claudius* (a) Chr. 268. (*b*) *ſucceſſit*, *a militibus electus*, *a Senatu appellatus Auguſtus;* (b) Eutrop. Lib. IX. c. 11. parcus vir ac modeſtus & juſti tenax, ac Reipubl. gerendæ idoneus, inſignis (*c*) morum gravitate, inſignis vita ſingulari, & unica caſtimonia. (c) Treb. Poll. in Vit. c. 13. Hinc *Pius* inſcribitur; &, quum Gothos (*d*), Illyricum Macedoniamque vaſtantes ingenti prælio (d) Eutrop. ibid. viciſſet, *Felix* dicitur. *Moneta* vero ad indicandam ejus integritatem *Auguſta* inſcribitur.

Num. II.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΚΛΑΥΔΙΟΝ. *Imperatorem Cæſarem Marcum Aurelium Claudium*, capite laureato.
ΔΗΜΟΣ ΣΑΓΑΛΑΣΣΕΩΝ. *Populus Sagalaſſeorum*, Claudio dextram porrigens.


Uum ab ingruentibus Scythis (*e*), Cretam, & (e) Zoſim Lib. I. c. 46. & ſeqq. Rhodum claſſe circumvectis, Σαγάλασσος πόλις Πισιδίας (*f*), *Sagalaſſus Piſidiæ urbs*, (f) Stephan. de Urbibus protegente Imperatore Claudio liberata eſſet, ei occurrit,

Victricique (g) *petit dextræ conjungere dextram.* (g) Ovid. Metam. VIII. v. 421.



Num.

Num. III.

AURELIANUS.

IMP. AVRELIANVS AVG. *Imperator Aurelianus Augustus*. Capite radiato.

SEVERINA AVG. *Severina Augusta*. Caput ejusdem cum Luna crescente ad humeros.



(a) Lib. I. c. 52.
(b) In Claud. c. 12.
(c) Annal. XII. cap. 26.
(d) In Aurel. c. 37.
(e) Eutrop. Lib. IX. c. 13.
(f) Chr. 270. Vid. Animad. de Trib. Potest. n. XXXIX
(g) Vopisc. in Vit. cap. 6.
(h) Eutrop. ibid.
(i) Vopisc. in Vit. c. 42.
(k) Id. c. 45.

Osimus est auctor, Quintillum, qui post fratrem Claudium dictus est Imperator, *ὀλίγους μῆνας* (*a*) *paucos menses* imperium tenuisse. At vero Trebellius Pollio (*b*) cum Zonara (*c*) interemptum illum *septima decima die* tradit. Et Vopiscus (*d*) *die vigesimo imperii sui* Quintillum *periisse*, scribit. *Post eum* (*e*) *Aurelianus suscepit imperium*, sub finem scilicet anni (*f*) U. C. MXXIII. Fuit ipse Aurelianus *decorus* (*g*) *& gratia viriliter speciosus*, *statura procerus*, *nervis validissimus*; vir in bello potens (*h*), animi tamen immodici & ad crudelitatem propensioris; quique Gothos strenuissime vicit; Romanam ditionem ad fines pristinos varia bellorum felicitate revocavit. Uxorem habuit *Severinam*, ac *filiam* (*i*) *solam reliquit*. Quum (*k*) ab eo uxor peteret, ut unico pallio blatteo serico uteretur, ille respondit: *absit*, *ut auro fila pensentur*; *libra enim auri tunc libra serici fuit*.

T A B. LXXII.

Num. I.

SOL DOMINVS IMPERI ROMANI. Caput Solis.

AVRELIANVS AVG. CONS. *Aurelianus Augustus Consul*, seu *Conservator* imperii, ad aram sacrificans.




(l) Vopisc. in Aurel. c. 25.

E summa rerum ab Aureliano pugnatum (*l*) est contra Zenobiam & Zambam apud Emessam magno certamine: quumque Aureliani equites fatigati jam pæne discederent, ac terga darent, *subito vi numinis*, (inquit Vopiscus), quod postea proditum, hortante quadam divina

divina forma, per pedites etiam equites reſtituti ſunt. Fugata eſt Zenobia cum Zaba, & pleniſſime parta victoria. Recepto igitur Orientis ſtatu, Emeſſam victor Aurelianus ingreſſus eſt; *ac* (*a*) *ſtatim ad Templum Elagabali tetendit, quaſi communi officio vota ſoluturus*. Verum illic eam formam *numinis* reperit, quam in bello ſibi faventem vidit. *Quare & illic Templa fundavit, donariis ingentibus poſitis, & Romæ Soli Templum poſuit, majore honorificentia conſecratum*. Exhibetur itaq; in nummo Aurelianus vota Soli ſolvens, ac forte etiam illa patera, quæ data eſt ei (*b*), quum legatus ad Perſas iſſet, qualis ſolebat Imperatoribus dari a Rege Perſarum, *in qua inſculptus erat Sol* eo habitu, quo colebatur in eo Templo, in quo Mater ejus fuerat Sacerdos. Ac *Sol Dominus Imperii Romani* dicitur, Aurelianus vero *Conſervator*, quum hic ipſum contra Zenobiam defendiſſet, integrumque tutante, ut credebatur, Sole ſervaret.

(a) Id. ibid.

(b) Id. cap. 5.



Num.

Num. II.

T A C I T U S.

IMP. C. M. CL. TACITVS P. F. AVG. *Imperator Cæſar Marcus Claudius Tacitus Pius Felix Auguſtus*, laureatus.
RESTITVTAE .... Imperator paludatus cum haſta in ſiniſtra ſtans, dextra feminam genu flectentem erigit.



ANno Urbis Conditæ MXXIIX (*a*), vel inſequenti per fraudem interfecto Aureliano, calliditate ſervi nequiſſimi, errore militarium, reverſis ad bonam mentem omnibus, eiſdemque ab exercitu graviter confutatis, cæptum eſſe quæri, ecquis fieri deberet ex omnibus Princeps, auctor eſt (*b*) Vopiſcus. Tunc odio præſentium, exercitum, qui creare Imperatorem raptim ſolebat, ad Senatum litteras miſiſſe ſubdit, petentem, ut ex ordine ſuo principem legerent. Verum Senatus ſciens lectos a ſe principes militibus non placere, rem ad milites retulit. Dumque id ſæpius fit, ſextus peractus eſt menſis. Tandem *die* (*c*) *ſeptimo Kal. Octobris* (*d*), quum in Curiam Pompilianam ordo ampliſſimus conſediſſet, *Tacitum* (*e*) *e Conſularibus, mitem ſane virum, Imperatorem creat*. Ita Vopiſcus, qui conſentientes habet Victores, quorum alter (*f*) *menſe circiter poſt Aureliani interitum ſexto* Tacitum a Senatu factum Imperatorem, alter (*g*) *ſeptem menſibus interregni ſpeciem eveniſſe* tradit. At vero altum apud reliquos hiſtoricos hujus interregni ſilentium. Nullum præterea huic ſemeſtri locum relinquere nummi videntur, qua de re alibi (*h*). *Reſtitutæ* porro alicujus, quæ jacebat, Provinciæ, ſeu etiam Reipublicæ typus hoc in nummo exhibetur.

(a) Chriſti 275. Vid. Animadv. de Trib. Poteſtat. num. XXXIX.
(b) In Tacit. c. 2.
(c) Id. c. 3.
(d) Ejus an. U. C. 1028. Chr. 275.
(e) Vict. de Cæſ.
(f) De Cæſar.
(g) In epitom.
(h) Nu. XXXIX. de Trib. Pot.



Num.

Num. III.

FLORIANUS.

IMP. C. M. ANN. FLORIANVS AVG. *Imperator Cæſar Marcus Annius Florianus Auguſtus*, capite laureato.

MONETA AVG. *Moneta Auguſti.* Tres Monetæ.


Rater Taciti (*a*) germanus fuit Florianus, qui poſt fratrem arripuit imperium, non Senatus auctoritate, ſed ſuo motu, quaſi hereditarium illud eſſet: quum ſciret adjuratum eſſe in Senatu Tacitum, ut, quum mori cœpiſſet, non liberos ſuos, ſed optimum aliquem Principem faceret. Denique *vix duobus menſibus imperium tenuit;* & occiſus eſt Tarſi a militibus, qui Probum audierant imperare, quem omnis exercitus legerat. Fuit porro Florianus morum quidem fratris imitator (*b*), nec tamen uſquequaque: nam hæc ipſa imperandi cupiditas aliis eum moribus oſtendit fuiſſe quam fratrem. Teſtis eſt autem hic nummus, Florianum curaſſe aut etiam confirmaſſe legem, quam de monetis Tacitus tulerat, quave *cavit* (*c*), *ut, ſi quis argento publice privatimque æs miſcuiſſet; ſi quis auro argentum, ſi quis æri plumbum, capitale eſſet cum bonorum proſcriptione.*

(a) Vopiſc. in Flor. c. 1.

(b) Idem Vopiſc. ibid.

(c) Vopiſc. in Tacit. c. 9.



TAB. LXXIII.

Num. I.

PROBUS.

IMP. C. PROBVS INVICTVS AVG. *Imperator Cæsar Probus Invictus Augustus*, capite galeato laureatoque, cum lorica ad pectus, scuto & duobus telis in sinistra, & hasta in dextra.

SOLI INVICTO. Sol capite radiato, cum freno in dextra & flagro in sinistra quadrigam equorum agitat.



Acito absumpto, ac Floriano imperium abripiente, *omnes (a) orientales exercitus Probum Imperatorem fecerunt* anno U.C. MXXVIIII. (*b*). Itaque milites, cognito quod imperaret Probus, Florianum, qui quasi hereditarium imperium arripuerat, interemerunt, scientes, neminem dignius imperare quam Probum: ita ei totius orbis imperium & militum & Senatus judicio delatum est. Porro imperii sui tempore per totum orbem terrarum tot bella gessit, & quidem per se Probus (*c*), ut mirabile sit, quemadmodum omnibus occurrerit prœliis. *Si quid (d) autem prædæ fuit, ita divisit, ut sibi nihil præter tela & arma servaret.* Hinc armatus telisque instructus occurrit in nummo. Quumque eo imperante (*e*) *Oriens, Occidens, Meridies, Septemtrio, omnesq; orbis partes in totam securitatem redactæ essent*, Soli comparatus est, qui orbem universum perlustrat & fovet. Veteres itaque

Hoc Sidus (f) currum rapidasque agitare quadrigas
Commenti, & capiti radios & verbera dextræ,
Et frenos phalerasque & equorum pectora anhela.

(a) Vopisc. in Probo c. 10.
(b) Chr. 276.
(c) Id. c. 22.
(d) Id. c. 8.
(e) Id. in princ. Vitæ.
(f) Prudent. contra Symm. Lib. I. v. 344.

Num.

Num. II.

IMP. C. PROBVS INVICT. P. F. AVG. *Imperator Cæſar Probus Invictus Pius Felix Auguſtus*, capite laureato, cum paludamento ad pectus, ſpiculo in dextra, & ſcuto in ſiniſtra. Adeſt & caput muliebre jugatum.

MONETA AVG. *Moneta Auguſti*. Tres Monetæ.



Dicitur heic Probus, ſicut & in ſuperiori nummo *Imperator Cæſar* & *Auguſtus*, quia hæc ei nomina primum milites detulerunt, poſtea Senatus confirmavit. Acclamatum itaq; a militibus (*a*), *Probe Auguſte, Dii te ſervent*; *appellatuſque Imperator*. In Senatu vero Manlius Statianus, qui primæ ſententiæ tunc erat, *decerno igitur*, inquit (*b*), *Patres C. votis omnium concinentibus nomen Cæſareum, nomen Auguſtum*: *addo Proconſulare imperium*, *Patris Patriæ reverentiam*, *Pontificatum Maximum*, *jus tertiæ relationis*, *Tribuniciam Poteſtatem*. Præterea *Pius* ac *Felix* inſcribitur, quia Probum ſuſpiciebant ut *Principem fortem* (*c*), *ſanctum*, *verecundum*, *clementem*, *probum*. Caput muliebre, quod jugatum conſpicitur, uxoris eſſe poteſt: at de ea nihil nobis occurrit apud Auctores. Illud legimus (*d*), *poſteros Probi vel odio invidiæ vel timore Romanam* regionem *refugiſſe*, *& in Italia circa Veronam ac Benacum & Larium*, *atque in his regionibus larem locaſſe*. De parte nummi poſteriore dicemus ad nummum ſequentem.

(a) Vopiſc. in Vit. cap. 10.
(b) Id. cap. 12.
(c) Id. cap. 19.
(d) Id. cap. 24.

Num. III.

IMP. PROBVS P. F. AVG. *Imperator Probus Pius Felix Auguſtus*, capite laureato loricatoque pectore, dextra haſtam puram, ſiniſtra ſcutum tenet.

MONETA AVG*uſta*, vel *Auguſti*. Tres Monetæ.



Adoleſcens Probus (*e*) corporis moribus tam clarus eſt factus, ut Valeriani judicio Tribunatum prope imberbis acceperit. At *mediocris* (*f*) *fortunæ* fuit: quare Valerianus ipſe, ut Probi dignitas incrementis juvaretur, juſſit ei inter alia dari, ſeu etiam pro annuo ſtipendio adſignari *aureos* (*g*) *Antonianos centum*, *argenteos Aurelianos mille*,

(e) Id. Vopiſc. in Prob. c. 3.
(f) Id. cap. 4.
(g) Seu Antonianos ibid.

æreos Philippeos decem millia. In cujus forte rei memoriam, tum etiam teſtimonium ſuæ in omnes, milites præſertim æquitatis liberalitatiſque, Monetas ipſas exhibuit Probus in nummis. In parte itaq; nummi poſteriore ſunt Monetæ, quarum notam integritatemque ab Aureliano reſtitutas Probus retinuit. Au-
(a) Vict. de Cæſ. relianus enim *intra (a) urbem Monetæ opifices delevit, qui auctore Feliciſſimo Rationali nummariam notam corraſerant*. Probus autem Aureliani nominis cultor vindexq; fuit: unde ſtatim, atq;
(b) Vopiſc. in Prob. c. 13. ſumpſit imperium, *ſi (b) qui de interfectoribus Aureliani ſuperfuerant, vario genere vindicavit*.

TAB. LXXIIII.

Num. I.

IMP. C. PROBVS P. F. AVG. *Imperator Cæſar Probus Pius Felix Auguſtus*, capite laureato ac paludato pectore, dextra tenet globum, cui inſiſtit victoria cum ſerto, ſiniſtra haſtam ſeu ſceptrum gerit.

(c) Cap. 1. Eſtis eſt Vopiſcus (*c*), Probi imperio ac victoriis *omnes orbis partes in totam ſecuritatem redactas* fuiſſe. Exhibetur itaque hoc in nummo Probus cum globo, qui terrarum orbem ſignificat, eiq; inſiſtit Vic-
(d) Id. cap. 20. toria, *quia (d) totum mundum fecerat jam Romanum*.

Num. II.

IMP. PROBVS P. F. AVG. *Imperator Probus Pius Felix Auguſtus*, capite laureato, paludatoq; pectore, haſtam dextra gerit, ſiniſtra ſcutum, in quo ipſe eques elata dextra conſpicitur, præeunte victoria cum ſerto & palma, ſubſequente vero milite.

Cceptis a Senatu Probi litteris, quibus imperium ſibi a militibus demandatum ſignificabat, imperium ipſum
(e) Vopiſc. in Vit. cap. 11. ei confirmatum eſt, acclamatumq; (*e*) *Felix imperes, Felix agas, feliciter imperes*, ut etiam ex parte contigit. Hinc & in nummo *Felix* inſcribitur. Et quamvis ſit ar-
(f) Vid. Com. ad nu. 2. Tab. XXX. matus, pacem tamen elata (*f*) dextra promittit, ſperans ſpon-
(g) Id. Vopiſc. in Vit. c. 20. denſq; (*g*), *Reipublicæ brevi milites neceſſarios non futuros*.

Num.

Num. III.

PROBVS INVICT. P. AVG. *Probus Invictus Pius Augustus*, capite laureato, cum torque ad collum, & ægide super humerum sinistrum, hasta in dextra, minax & formidabilis.

QUum bello Sarmatico Probus adhuc privatus & jam tribunus transmisso Danubio, multa fortiter fecisset, publice in concione donatus est tum aliis ornamentis militaribus, tum etiam *torque (a) aureo uno*, cum quo in hoc numismate comparet. *Invictus* vero dicitur, quia innumera, eaq; fortiter feliciterque tum privatus tum adeptus imperium bella gessit. Hinc adparent ejus *in fronte (b) minæ & formidabile lumen*: terroremque hasta & ægis augent. Unde (c) *omnes Geticos populos fama rerum territos, & antiqui nominis potentia pressos, aut in deditionem, aut in amicitiam recepit*. Barbarorum etiam, qui apud Isauros erant, vel *per terrorem*, vel per voluntatem loca ingressus est. Ex quibus aliisq; hujusmodi rebus tantum (d) profecit, ut Parthi Legatos ad eum mitterent, *confitentes timorem, pacemque poscentes: quos ille superbius acceptos, magis timentes domum remisit*.

(a) Vopisc. in Vit. c. 5.
(b) Ovid. II. Metam. v. 857.
(c) Vopisc. in Vit. cap. 16.
(d) Id. c. 17.

Num. IIII.

PROBVS AVG*ustus*, cum galea laureata in capite, hasta pura supra humerum sinistrum, & in dextra scuto, in quo ipse eques hostes proterens.

HAstam puram heic & alibi gestat Probus eo, quod & ipse adhuc privatus, quum in omnibus præliis fortiter feliciterque pugnasset, *donatus (e) est hastis puris* multis, & post sumptum imperium alios, qui optimam in bellis navabant operam, hujusmodi hastis donabat. Lauream quoq; supra galeam gerit, tum quod Imperator Augustus esset, tum quod omnis generis coronas & ante (f) & post imperium meruerat. Hinc in clypeo hostes proterens Probus ipse exhibetur: quippe ab eo *barbarorum adtritæ (g) gentes sunt*.

(e) Vopisc. in Prob. c. 5.
(f) Id. ibid. & alibi Vid. c. 15.
(g) Vict. de Caes

Num.

Num. V.

PROBVS P. F. AVG. *Probus Pius Felix Augustus*, capite laureato.

VOT. PAX. *Votiva Pax*. Victoria cum serto in biga.




Ere armatum vidimus in superioribus nummis Probum, heic sine armis, pacemque, quæ in votis omnium erat, adferentem habemus. Quum (*a*) itaque bella innumera gessisset, *pace parta*, dixit: *brevi milites necessarios non futuros*. Quod dictum Probi refert præter Eutropium etiam Vopiscus, ac *grave* vocat, & ita interpretatur (*b*). *Quid est aliud dicere? Romanus jam miles erit nullus, ubique regnabimus, omnia possidebimus, secura Resp., orbis terrarum non arma fabricabit, non annonam præbebit: boves habebuntur aratro, equus nascetur ad pacem, nulla erunt bella, nulla captivitas, ubique pax, ubiq; Rom. leges, ubiq; judices nostri*. In nummo nuntia *pacis* est *Victoria Romana* (*c*), quam, ut Probo adesset, adprecatus est Senatus principio imperii, quum & Jovem ac Junonem invocavit & bellorum ac virtutum præsulem Minervam, & *orbis Concordiam*, adeo ut horum numinum tutela præsidioque & imperium & bella optime feliciterque administrasse visus sit Probus.

(a) Eutrop. Lib. IX. c. 17.

(b) In Probo c. 20.

(c) Vopisc. in Prob. c. 12.



Num.

TAB. LXXV.

Num. I.

CARINUS.

M. AVR. CARINVS NOB. AVG. *Marcus Aurelius Carinus Nobiliſſimus Auguſtus*, capite laureato.
MONETA AVGG*uſtorum*. Tres Monetæ.



Rbis conditæ annus MXXXV. (*a*) properabat ad exitum, quum extincto Probo *Carus eſt* (*b*) *factus Auguſtus, Narbone natus in Gallia, qui confeſtim Carinum & Numerianum filios Cæſares fecit*, bellumque Perſicum, quod Probus parabat, (*c*) adgreſſus eſt, & ita quidem, ut *Carinum* ad Gallias tuendas cum viris lectiſſimis deſtinaret; ſecum vero Numerianum adoleſcentem, cum lectiſſimum, tum etiam diſertiſſimum duceret. Porro Carinus *Cæſar* (*d*) *decretis ſibi Galliis atque Italia, Illyrico, Hiſpaniis, ac Britanniis, & Africa, relictus a Patre Cæſarianum tenuit imperium, ſed ea lege, ut omnia faceret, quæ Auguſti faciunt*. Inſcribitur itaque *Nobiliſſimus Auguſtus*; & *Moneta Auguſtorum*, ideſt Cari Patris, & ipſius Carini dicitur.

(a) Chr. 282. Vid. num. XLII. & XLIII. de Trib. Poteſt.
(b) Eutrop. Lib. IX. c. 18.
(c) Vopiſcus in Caro c. 7.
(d) Id. in princ. Vitæ Carini.

Num. II.

IMP. C. M. AVR. CARINVS AVG. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Carinus Auguſtus*, capite laureato & cum ſcuto in ſiniſtra.



Arinus fuit homo (*e*) omnium contaminatiſſimus. Is, ubi Patrem (*f*) fulmine abſumptum, fratrem a ſocero interemptum, Diocletianum Auguſtum appellatum comperit, majora vitia & ſcelera edidit, quaſi jam liber a frenis domeſticæ pietatis, ſuorum mortibus abſolutus. *Nec* (*g*) *ei tamen defuit ad vindicandum ſibimet imperium vigor mentis: nam contra Diocletianum multis præliis conflixit: ſed ultima pugna apud Margum commiſſa, victus occubuit*.

(e) Vopiſc. in princ. Vit.
(f) Id. cap. 18.
(g) Id. eod. c. 18.

Num.

Num. III.

DIOCLETIANUS.

IMP. C. C. VAL. DIOCLETIANVS P. F. AVG. *Imperator Cæſar Cajus Valerius Diocletianus Pius Felix Auguſtus*, capite laureato.

MONETA AVGG*uſtorum*. Tres Monetæ.



DE Perſide victa Romanus exercitus rediens, quum Carum Auguſtum fulmine, Numerianum Cæſarem inſidiis perdidiſſet, *Diocletianum* (*a*) *Imperatorem creavit*, Dalmatia oriundum, virum obſcuriſſime natum, adeo ut a pleriſq; Scribæ filius, a nonnullis Anulini Senatoris libertinus fuiſſe credatur; matre (*b*) pariter atque oppido nomine *Dioclea*, quorum vocabulis, donec imperium ſumeret, *Diocles appellatus*: ubi orbis Romani potentiam cepit, Grajum nomen in Romanum morem convertit, dictuſque eſt Diocletianus. Ex Auctore Chronici Alexandrini, Διοκλετιανὸς ἀναγορευθεὶς πρὸ ιέ Καλανδῶν Ὀκτωβρίων ἐν Χαλκηδόνῃ, εἰσῆλθεν εἰς Νικομήδειαν πρὸ έ Καλανδῶν Ὀκτωβρίων, μετὰ τῆς πορφυρίδος: *Diocletianus Imperator eſt renuntiatus* XV. *Kalendas Octobris* anno U. C. MXXXVII. (*c*) *Chalcedone, ac quinto Kalendas ejuſdem menſis Nicomediam purpuratus intravit*. At vero Euſebius (*d*) & Lactantius natalem imperii Diocletiani in diem XX. Novembris differunt. Inde contra Carinum profectus Diocletianus, ipſum omni odio & deteſtatione viventem, apud Margum (*e*) ingenti prælio vicit. Ubi vero Diocletianus ipſe comperit, Carini diſceſſu Ælianum Amandumque per Galliam excita manu agreſtium ac latronum, quos Bagaudas incolæ vocabant, populatis late agris pleraſque urbium tentare, *Maximianum* ſtatim fidum amicitia, quamquam ſemiagreſtem, militiæ tamen atque ingenio, (ſi Victori credimus), bonum, *Imperatorem jubet*, poſteaq; fecit *Auguſtum*. Hinc in nummo *Moneta* dicitur AVGG*uſtorum*. Curam porro geſſiſſe videtur uterque Auguſtus, ut cuderetur optimæ notæ moneta; quippe *Aureliano* (*f*) *imperante monetarii in urbe rebellaverunt, vitiatis pecuniis & Feliciſſimo* (*g*) *Rationali interfecto: quos Aurelianus victos ultima crudelitate compeſcuit.*

(a) Eutrop. Lib. IX. c. 19.

(b) Vict. jun.

(c) Chr. 284.

(d) Vid. n. XLIV. de Trib. Pot.

(e) Eutr. Lib. IX. c. 20.

(f) Id. eod. Lib. c. 14.

(g) Feliciſſimum ſeditionis auctorem faciunt Vopiſcus & Sex. Aurel.

Num.

Num. IIII.

IMP. C. C. VAL. DIOCLETIANVS P. F. AVG.
Imperator Cæsar Cajus Valerius Diocletianus Pius Felix Augustus, capite laureato, tectoque ægide pectore.

INvehitur Lactantius *(a)* in Diocletianum, *qui scelerum inventor & malorum machinator fuit*; &, *quum disperderet omnia, nec a Deo quidem manus potuit abstinere*. Quare *impius*, non vero *Pius* dici debuit. Nec etiam *Felix* perpetuo fuit; nam, quum persecutionem adversus Christianos movisset, *hoc scelere perpetrato, felicitas (b) ab eo recessit*. In nummo Diocletianus ipse

Gestat *Belligeræ (c) crudum thoraca Minervæ:*
Ipsa Medusææ quem timet ira comæ.

(a) De Mort. Pers. c. 7.
(b) Lact. eod. Lib. c. 17.
(c) Mart. Lib. VII Ep. 1.

T A B. LXXVI.

Num. I.

IMP. C. C. VAL. DIOCLETIANVS P. F. AVG.
Imperator Cæsar Cajus Valerius Diocletianus Pius Felix Augustus, capite laureato.
MONETA IOVI ET HERCVLI AVGG*ustis*.
Moneta inter Jovem & Herculem.

MOnetæ, ideft Monetalis officinæ a Diocletiano Nicomediæ ædificatæ meminit Lactantius *(d)*. Hoc autem in nummo *Moneta* ipsa inter Jovem & Herculem exhibetur, *siquidem Diocletiani auctor Deus*, nempe Juppiter, inquit Mamertinus *(e)*, *itidem quoque, Maximiane, Hercules tuus*. Quin *Maximiano (f) cultu numinis, Herculei cognomentum accessit, uti Valerio Jovium*.

(d) De Mort. Pers. cap. 7.
(e) In Genethl. Maxim. c. 2.
(f) Vict. de Cæs.



Num. II.

MAXIMIANUS HERCULIUS.

IMP. C. M. AVR. VAL. MAXIMIANVS P. F. AVG.
Imperator Cæsar Marcus Aurelius Valerius Maximianus Pius Felix Augustus, capite tecto pelle leonis.

MONETA IOVI ET HERCVLI AVGG*ustis*.
Moneta inter Jovem & Herculem.

(a) Idac. in Fast.
(b) Chr. 285.
(c) Eutrop. Lib. IX. c. 22.



Alendarum Aprilium die (*a*) anni U. conditæ MXXXVIII. (*b*) Diocletianus (*c*) *Maximianum Herculium ex Cæsare fecit Augustum*. Comparet ipse Maximianus leonis spolio ad modum Herculis tectus. In societatem itaque auxiliumque imperii a Diocletiano accitum sic adulatus est Mamertinus: *præcipitanti*, inquit (*d*), *Romano nomini juxta Principem subiisti, eadem sc. auxilii opportunitate, qua tuus Hercules Jovem vestrum, quondam Terrigenarum bello laborantem magna victoriæ parte juvit, probavitque non magis a Diis accepisse Cœlum, quam iisdem reddidisse*. At, si absit adulatio, *Maximiani* habitus, qui in nummo conspicitur, potius ad ejus ferociam referri potest. Ipse etenim *Herculius* (*e*) *propalam ferus, & incivilis ingenii, asperitatem suam etiam vultus horrore significans*. Ita etiam partem nummi posteriorem non de monetis, quas largiti sint Imperatores, sed quas ipsi acceperint & corrogarint, liceat nobis exponere. Sane *Moneta* non quidem *Jovis & Herculis* dicitur, sed *Jovi & Herculi*, idest Diocletiano & Maximiano tributa atq; tribuenda. Nam Diocletianus *insatiabili* (*f*) *avaritia, thesauros numquam minui volebat, sed semper extraordinarias opes ac largitiones congerebat, ut ea, quæ recondebat, integra atque inviolata servaret*. Maximianus autem *non* (*g*) *erat* quidem *in custodiendis opibus tam diligens, quarum illi copia suppetebat*. Sed, *quum opus esset, non deerant locupletissimi Senatores, qui subordinatis indiciis adfectasse imperium dicerentur, ita ut effoderentur adsidue lumina Senatus. Cruentissimus fiscus male partis opibus adfluebat*. Præterea libidine multa laborabat Herculius. Itaq; *his* (*h*) *rebus beatum se judicabat: his constare felicitatem imperii sui putabat, si libidini & cupiditati malæ nihil denegaret*. Hoc sensu *Pius* & *Felix*, prout in nummo inscribitur, dici potuit.

(d) In Panegyr Maximian. c. 4.
(e) Eutrop. Lib. IX. c. 27.
(f) Lactant. de Mort. Pers. c. 7.
(g) Id. eod. Lib. c. 8.
(h) Id. ibid.

Num.

Num. III.

VIRTVS MAXIMIANI AVG*usti*. Maximianus laureatus loricatusque, dextra equum habena tenet, sinistra scutum, in quo lupa Romulum ac Remum lactans.
MONETA AVGG*ustorum*. Tres Monetæ.



NUmmum inlustrat his Mamertinus ipsi Maximiano dictis (*a*) „ Vidimus te, Cæsar, eodem die & in clarissimo pacis habitu, *& in pulcherrimo virtutis ornatu ... Togam prætextam sumpto thorace mutasti*, hastam posito scipione rapuisti, a tribunali temet in campum, „ *a curuli in equum transtulisti*, & rursus ex acie cum triumpho „ rediisti „. Scuto quoque, in quo Remus & Romulus, his aliis lucem idem Orator adfundit (*b*). *Re vera, Sacratissime Imperator, merito quivis te tuumque fratrem* (Diocletianum) *Romani imperii dixerit Conditores : estis enim, quod est proximum, Restitutores ... Felix* (*c*) *igitur talibus Roma Principibus, & nunc multo felicior, quam sub Remo & Romulo.*

(a) Panegyr. I. c. 6.
(b) Eod. Paneg. cap. 1.
(c) Cap. 13.

T A B. LXXVII.

Num. I.

IMP. C. M. VAL. MAXIMIANVS NOB. CAES. *Imperator Cæsar Marcus Valerius Maximianus Nobilissimus Cæsar*, capite laureato.
MONETA AVGG*ustorum*. Tres Monetæ.



REum Romanarum potitus Diocletianus, ad subigendos, qui in Gallia concitaverant tumultum, rusticanos (*d*), *Maximianum Herculium Cæsarem misit*: qui levibus præliis agrestes domuit, & pacem Galliæ reformavit. *Imperatorem* quoque tunc creatum esse *Maximianum* (*e*) legimus. Antequam igitur *Augustus* fieret, cusus videtur hic nummus; in cujus tamen parte posteriore dici potuit cum Diocletiano *Augustus* ea ratione, qua *Cæsares* cum Augustis conjuncti, *Augustum* nomen (*f*) obtinebant.

(d) Eutrop. Lib. IX. c. 20.
(e) Apud Victor de Cæsar.
(f) Vid. Animad. de cognom. Augusti n. VII.

Num. II.

CONSTANTIUS CONSTANTINI M. FILIUS.

D. N. CONSTANTIVS P. F. AVG. *Dominus Noster Conſtantius Pius Felix Auguſtus*, cum diademate gemmis ornato, in capite.

VIRTVS AVGVSTI N*oſtri*. Conſtantius paludatus, dextra haſtæ innititur, ſiniſtra ramum geſtat olivæ, ac pede ſiniſtro captivum premit.



Uniorem vultum præfert nummus hic cum ſeptem ſequentibus, quam ut Conſtantio Chloro aptari queant, adeoque ejus Nepoti, Conſtantini M. Filio eoſdem tribuimus. Sane Conſtantius Chlorus & vultum ſeniorem & diverſum ab his omnibus in ſuis nummis habet. Quippe & natu grandior Cæſarea dignitate ornatus eſt, & plures adhuc annos agens Auguſtus evaſit: anno enim ætatis LVI. il-
(a) Lib.VII.c.19. (b) Vict. de Cæſ. lum obiiſſe, tradit Nicephorus (*a*); nec niſi *annuum* (*b*) *fuit*
(c) Lactant. de Mort. Perſ. c. 18. Auguſteum ejus imperium, Cæſarea vero dignitas *annos* (*c*) duravit *quindecim*. Præterea traditur in Græcis Scaligeri Collectaneis, *Conſtantium propter luteum vultus colorem, Chlorum nuncupatum fuiſſe*: nec ſane multa vultus venuſtate illum nituiſſe, nummi probant. At vero Conſtantius ejuſdem Nepos ſeptennis factus eſt *Cæſar*; annum vero agens XX. *Auguſtus* evaſit, ac vixit regnavitque uſque ad annum XLV; ac præterea vultus venuſtate, prout ejus nummi produnt, floruit. Quum
(d) Chron. Alex. igitur Beatiſſimus (*d*) Conſtantinus obiiſſet die XXII. Maji
(e) Chr. 337. anno Urbis conditæ MXC. (*e*), *Conſtantius* in Oriente audita Patris morte, bello adhuc urgente in Meſopotamia, Conſtantinopolim advolavit: quo quum veniſſet, Conſtantinum Patrem ſemper laudatiſſimum tanta cum pompa & majeſtate regia extulit, ut id nemo verbis pro dignitate poſſit adſequi. *Ipſo*
(f) Idac. in Faſt. *anno* (*f*) *nuncupatus eſt Auguſtus cum Conſtantino & Conſtante* fratribus *Conſtantius* V. *Idus Septembris*; ac proinde non ante cuſus eſt hic nummus, utpote qui illum repræſentat *Auguſtum*. Nitet vero Conſtantius diademate gemmis contexto, parentem
(g) Vid. Com. in n. I. Tab. LXXX. Conſtantinum imitatus, qui primus (*g*) ita illud ornavit. Unde

magis

magis adhuc ipsi Constantio Nepoti nummus convenit. In parte nummi posteriore armatus & cum ramo olivæ ad modum Minervæ Constantius videtur: nam, ut Minerva (*a*) *Gigantes facundia præsertim vicit jugoq; subdidit*, ita Vetranionem (*b*) *Constantius cis mensem decimum, facundiæ vi dejectum imperio in privatum otium removit: quæ gloria post natum imperium soli processit eloquio clementiaque*. Hinc *virtus* Constantii commendatur in nummo: & *Vetranio* (*c*) *litterarum prorsus expers*, dejectus depressusq; exhibetur.

(a) Phurnut. de Minerv.
(b) Vict. de Cæs.
(c) Id. ibid.

Num. III.

CONSTANTIVS P. F. AVG. *Constantius Pius Felix Augustus*, capite diademato.
VRBS ROMA. Ipsa Roma galeata sedens supra scutum, dextra victoriolam tenet, sinistra hastam.



Unc nummum dedicasse videtur Constantio *Urbs Roma*, quum sublato Nepotiano, *cujus* (*d*) *stolidum ingenium adeo plebi Romanæ Patribusq; exitio fuit, uti passim domus, fora, viæ, Templaq; cruore ac cadaveribus opplerentur, bustorum modo*, tum etiam extincto Magnentio, cujus tyrannidem passa urbs ipsa fuerat, libertati paciq; restituta est. Hinc dicitur Constantius (*e*) RESTITVTOR VRBIS ROMAE ATQVE ORB. ET EXTINCTOR PESTIFERAE TYRANNIDIS.

(d) Vict. de Cæs.
(e) Apud Gruter. pag. CCLXXX.

T A B. LXXVIII.

Num. I.

D. N. CONSTANTIVS P. F. AVG. *Dominus Noster Constantius Pius Felix Augustus*, capite diademato.
DEBELLATORI GENTT*ium*. Constantius eques hasta petit hostem genu flectentem, scutumq; habentem.



Ermanis pleraque Galliæ partium populantibus, Julianum Cæsarem, cognatione acceptum sibi Constantius Transalpinis præfecit: *isque nationes feras brevi subegit, captis famosis Regibus. Quæ quamquam in ejus fortuna*, inquit Victor (*f*), *Principis tamen & consilio accidere*. Hinc *Debellator Gentium* inscribitur, & exhibetur hasta feriens; quippe *destinandi* (*g*) *sagittas mire promptus fuit*.

(f) De Cæsar.
(g) Id. Vict. ibid.

Num.

Num. II.

D. N. CONSTANTIVS P. F. AVG. *Dominus Noster Constantius Pius Felix Augustus*, laureatus elata dextra.
VICTORIA AVGVSTORVM. Victoria alata & cum palma Constantium secum ducit.

(a) Vid. nu. VII. Animadv. de cognom. August.
(b) Eutrop. Lib. X. c. 14.



Uguſtorum nomine intelligi heic poſſunt Conſtantius Imperator ac Julianus Cæſar (*a*). *Conſtantius* (*b*) itaq; *Princeps & Auguſtus... Julianum Cæſarem ad Gallias miſit*. A quo ingentes Alamannorum copiæ extinctæ ſunt, Rex nobiliſſimus captus, Galliæ reſtitutæ. Multa alia per eumdem Julianum egregie adverſum barbaros geſta ſunt; ſubmotiq; ultra Rhenum Germani, *& finibus ſuis Romanum imperium reſtitutum*. Hinc elata manu hoſtes arcet Conſtantius, & ad triumphum gratiasq; Deo agendas ducitur:

(c) Claud. Libro III. de Laud. Stilic. v. 203.

. . . *Quum* (*c*) *totis exſurgens ardua pennis,*
Ipſa Duci ſacras Victoria panderet ædes.

Num. III.

D. N. CONSTANTIVS P. F. AVG. *Dominus Noster Constantius Pius Felix Augustus*, capite laureato, dextra victoriolam, ſiniſtra ſceptrum aquila ornatum gerit.
VIRTVS AVG. N. *Virtus Augusti Nostri*. Constantius paludatus ſtans, dextra orbem, haſtam ſiniſtra tenet.

(d) Scholiaſt. Juvenal. in verſ. 38. Satyr. X.



Irtutem heic felicitatemq; Conſtantii extollere adulatores voluerunt. Sceptrum itaq; ſeu *virgam* (*d*), *quam Conſules portabant, ac ſuper eam Aquilas faciebant*, geſtat, ut civilis inde poteſtas oſtendatur: armatus autem comparet & cum victoria, ut virtus inde militaris eniteat: orbem demum gerit, ut orbis terræ dominus appareat.

(e) Lib. XV. in princ.

Quo hæc Ammiani Marcellini ſpectant (*e*). *Hi, qui ſummam aulam tenebant, omni placendi ſtudio in adulationem ex more conlato, Virtutem Felicitatemque Imperatoris extollebant in cœlum: cujus nutu, in modum gregariorum militum, licet diverſis temporibus, duo exauctorati ſunt principes, Vetranio nimirum & Gallus*. Quibus blanditiis ita ſublatum addit hiſtoricus Conſtantium, ut aliquoties *ſcribendo propria manu orbis totius ſe Dominum appellaret*.

TAB.

TAB. LXXIX.

Num. I.

FL. IVL. CONSTANTIVS NOB. C. *Flavius Julius Constantius Nobilissimus Cæsar*, capite laureato.
VIRTVS CAESARVM. Constantius paludatus & cum hasta, tropæum, sub quo captivus, dextra stringit.


Ommendatur heic virtus Cæsarum, Constantini M. Filiorum, Crispi nempe, Constantini, atque Constantii: quorum illi *Gallicano & Basso* anni U. C. MLXX. (a) *Coss. levati* sunt *Cæsares* (b) *die Kal. Martii*; *Constantius* vero VI. *Idus Novembris Crispo* III. *& Constantino* III. *Coss.*, anno sc. U. C. MLXXVII. (c) juxta Fastos Idacii. Porro Crispus susceptum (d) contra Tyrannos bellum una cum Patre confecerat. Constantinus debellatis Getis pacem imperio tutam ac securam præstiterat. Ὁ δὲ ἐτήρησεν ἄβατον τοῖς πολεμίοις ἐκείνοις τὴν χώραν, αὐτὸς ἐπιστρατεύων ἐκείνοις πολλάκις (e). Constantius vero *fines imperii immunes ab hostium incursione atque impetu servaverat, quum in eos sæpius duxisset exercitum*. Hinc tropæum stringit, quod figi solebat, ubi terga hostes verterant.

(a) Chr. 317.
(b) Idac. in Fast.
(c) Chr. 324.
(d) Julian. Orat. I. Const. M. dicta.
(e) Id. ibid.

Num. II.

D. N. FL. CONSTANTIVS NOB. CAES. *Dominus Noster Flavius Constantius Nobilissimus Cæsar*, capite nudo.
VICTORIA ROMANORVM. Victoria gradiens, dextra sertum tenet, sinistra palmam, ad pedes vinctus.


Allorum gentibus custodem atq; Imperatorem præfecit Pater Constantium adhuc juvenem, vel ætate potius puerum: ἐπεὶ τῇ γεσωνέσει καὶ ῥώμῃ τοῖς καλοῖς κἀγαθοῖς ἄνδρασιν ἐνάμιλλον ᾔδει: inquit Julianus (f): *quandoquidem quoad prudentiam & robur adtinet, cum præstantissimis viris comparandum merito ipsum noverat*. Demum in alteram orbis partem translatum, Parthorum ac Medorum gentibus ad resistendum solum objecit. *Victoria* itaque *Romanorum* eo usq; protensa, ut perennaret, in nummis est exhibita.

(f) Orat. I. de Constantio.

Olim

Olim Augustus Curiam Juliam, habendo Senatui destinatam, in honorem patris sui factam dedicavit, in eaq; τὸ ἄγαλμα τὸ τῆς Νίκης (*a*), *simulacrum Victoriæ* posuit, Tarento antiquitus Romam advectum, & spoliis Ægyptiis decoratum: quo Cæsar ostendebat, imperium se ex Victoria esse adeptum. At vero Constantius, qui imperium non a Victoria sed a Deo consecutum se esse noverat, Victoriæ (*b*) ipsius simulacrum auferri inde jussit.

(a) Dio Libro LI. pag. 459. D.

(b) Vid. Com. in num. seq.

Num. III.

D. N. FL. CONSTANTIVS AVG. *Dominus Noster Flavius Constantius Augustus*, capite laureato.

VICTORIA AVG*usti*. Victoria clypeo insidens, in alio clypeo scribit VOT. XX. *Vota* scilicet *Vicennalia*.



EXacto imperii decennio, *Vota Vicennalia* pro Constantii salute ac Reip. felicitate (*c*) concepta sunt, & in nummis sculpta. Κωνςάντιος Α'ύγεςτος εἰς τὴν ἑαυτοῦ εἰκοσιετηρίδα μετὰ πολλῆς φαντασίας καὶ παρατάξεως εἰσῆλθεν ἐν Ρ'ώμῃ, συνεισῆλθεν δὲ αὐτῷ καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ Ε'υσέβεια ἡ βασίλισσα (*d*). *Constantius* porro *Augustus propter Vicennalia sua cum ingenti pompa & apparatu Romam venit & cum eo uxor ejus Eusebia Augusta*. Contigisse id ipso Constantio XI. (*e*), seu potius IX. (*f*) & Juliano Cæsare II. legitur in Chronico Alexandrino: sed ad annum superiorem refertur ab Ammiano (*g*) Marcellino: qua de re nos (*h*) alibi. Quod vero huc facit, tunc *Constantius* (*i*), *nondum sacris initiatus mysteriis, contaminari se putavit, si aram* Victoriæ *videret; jussit auferri, non jussit reponi.*

(c) Vid. Com. in nu. 3. Tab. LVII.

(d) Chron. Alex. ad an. Const. XX.

(e) An. U.C. 1110. Chr. 357.

(f) Alii Fasti Coss.

(g) Lib. XVI. c. 10

(h) Vid. Animad. de Vot. X.

(i) D. Ambr adv. Sym. ad Valent. Ep. I.



Num.

TAB. LXXX.

Num. I.

CONSTANTINUS MAGNUS.

CONSTANTINVS MAX. AVG. *Constantinus Maximus Augustus* cum laurea gemmis intexta in capite.
VIRTVS AVG. N. *Virtus Augusti Nostri*. Constantinus eques hostem procumbentem hasta petit.



Alendis (*a*) Majis anni U. C. MLVIII. (*b*) Diocletiano & Maximiano abeuntibus ab administratione Reip. (*c*), Constantius Chlorus Constantini Pater, & Maximianus Galerius Augusti creati sunt. Imperium Constantio (*d*) annuum fuit: se etenim & Galerio VI. Coss. (*e*), anno sc. U. C. MLIX. (*f*) excessit e vita. *Postea* (*g*) *levatus est Constantinus* VIII. *Kal. Augusti* eodem anno. Sed illud excogitavit Galerius, ut Severum, qui erat ætate maturior, Augustum nuncuparet (*h*), *Constantinum vero non Imperatorem, sicut erat factus, sed Cæsarem cum Maximino appellari juberet*. Constantini porro tanta maturitas fuit, (*i*) *ut, quum sibi Pater imperium reliquisset, Cæsaris tamen appellatione contentus* fuerit. Paullo tamen post (*k*) Imperator etiam renuntiatus est, & nuncupatus Augustus. *Innumeræ* (*l*) *in eo animi corporisque virtutes claruerunt*: hinc *virtus Augusti* commendatur in nummo: & eques in eo hostem feriens repræsentatur; quippe *militaris* (*m*) *gloriæ appetentissimus, fortuna in bellis prospera fuit*. Relucet quoque ejus caput laurea gemmis intexta: πρῶτος φόρεσας διάδημα διὰ μαργαριτῶν ϗ ἑτέρων τιμίων λίθων (*n*): *nam gestavit primus diadema gemmis & pretiosis lapidibus inluminatum*.

(a) Lactant. de Mort. Pers. c. 19.
(b) Chr. 305.
(c) Eutrop. Lib. X. c. 1.
(d) Vict. de Cæs.
(e) Idac. in Fast.
(f) Chr. 306.
(g) Idac. in Fast.
(h) Lactant. de Pers. Mort. c. 25.
(i) Paneg. incerti Auctoris Maxim. Hercul. & Const. dict. cap. 5.
(k) Vid. n. XLVI. de Trib. Potest.
(l) Eutrop. Lib. X. c. 7.
(m) Id. ibid.
(n) Chron. Alex. ad an. Constant. XXV.

Num. II.

SECVRITAS AVGVSTOR. *Securitas Augustorum.* Mulier ſiniſtro brachio columnæ innixa ſtans, dextram ad caput elevat, hinc inde duo captivi flexis genibus.



(a) Vict. jun.

(b) Vict. de Cæſ.

(c) Euſeb. Lib. I. de Vit. Conſt. c. 25.

Idetur cuſus hic nummus Conſtantino, quum *obtento* (*a*) *totius Romani imperii mira bellorum felicitate regimine*, ſecuritatem ſibi ſuiſq; domi ac foris peperit. *Cunctos* (*b*) igitur *hoſtes, honore ac fortunis manentibus, rexit recepitque.* Erant plures eo tempore Imperatores, quibus omnibus, mota diſcordia, ſuperior fuit. Omnia etiam Barbarorum genera (*c*) circa flumen Rhenum & Oceanum verſus occidentem incolentia, quæ audacia & temeritate impulſa ſeditionem conflaverant, penitus repreſſit; & ex indomitis efferatiſque manſueta effecit & ratione tractabilia. Alia vero, quorum animos adeo inſanabiles animadverterat, ut ad vitam quiete placideque degendam nullo modo viderentur poſſe traduci, ſecluſit ab imperio, & tamquam agreſtes belluas a patriæ finibus prorſus exturbavit. Quibus aliiſque optime geſtis maximam ſecuritatem ſibi imperioque peperit, partamque ſervavit.

Num. III.

GLORIA SAECVLI VIRTVS CAES. P. R. *Gloria Sæculi Virtus Cæſaris*, forte *Percuſſa Romæ* Moneta. Conſtantinus ſeminudus ſedens, ſiniſtra haſtam tenet, dextra globum, ſupra quem Phœnix, recipit a figura paludata tropæoque onuſta; inter utrumque tigris.



(d) Orus Apoll. Lib. II. Hierogl. c. 54.

(e) Euſeb. Libro IIII. de Vit. Conſtant. c. 72.

Ccurrit hic typus etiam cum epigraphe REPARATIO SAECVLI, quam quidem Phœnix denotat. Ἀποκατάστασιν δὲ πολυχρόνιον βουλόμενοι σημῆναι, Φοίνικα τὸν ὄρνεον ζωγραφοῦσιν. (*d*) *Reparationem quippe diuturnam deſignare volentes Phœnicem pingunt.* At vero Conſtantinus (*e*), non quemadmodum avis hæc Ægyptia, quæ, quum ejus generis unica ſit, ſuper aromatum cumulo emori dicitur, ſe ipſam quaſi victimam immolans, moxque ex ipſis favillis renaſci & pennis

in

in altum ſubvecta, eadem qua prius ſpecie cerni; ſed potius exemplo Salvatoris Chriſti, qui inſtar tritici ſati, ex uno ſemine in multa ſeſe diffundens, ope ac benedictione Dei ſpicam protulit, & univerſum terrarum orbem fructibus ſuis implevit. Ad hunc modum beatiſſimus Princeps per ſucceſſionem liberorum multiplex factus eſt ex uno: ὡς ϗ εἰκόνων ἀναςάσεσι παρὰ πᾶσιν ἔθνεσιν· ἅμα τοῖς αὐτȣ̃ τιμᾶσθαι παισίν: *ita ut paſſim cum filiis honoris cauſſa ſtatutæ ei ſint in omnibus provinciis imagines*. Criſpus heic cum Conſtantino eſſe poteſt, quippe qui Cæſar factus, etſi juvenis, tamen *jam obterendis (a) hoſtibus gravis, terrorem paternum, quo ſemper Barbaria omnis*, quæ heic per tigrim exprimitur, *intremuit, derivare ad nomen ſuum cœpit*. E caſtris rediens, tropæo onuſtus exhibetur, orbemque pacatum Patri tradens, ac *narrans (b) utique exhauſta bella, & hoc ad ſuam gratiam non ad ſui oſtentationem; qualis excipiendo hoſte, quam reſiſtenti vehemens, quam facilis ſupplicanti*.

(a) Nazar. in Panegyr., qui eſt X. in ord. inter veteres Paneg. c. 3.

(b) Id. Nazar. eod. Paneg. cap. 37.

Num. IIII.

D. N. FL. CONSTANTINVS AVG. *Dominus Noſter Flavius Conſtantinus Auguſtus*, capite laureato.

DEBELLATORI GENT. BARB. *Debellatori Gentium Barbararum*. Imperator eques hoſtem haſta confodiens.

QUum Dei veri religionem ſuſcepiſſet promoveretque Conſtantinus, Θεὸς δ' αὐτοῦ ἀμειβόμενος, πάντα γένη βαρβάρων τοῖς αὐτοῦ καθυπέταττε ποσίν· ὡς ϗ πάντηπαν ταχοῦ τρόπαια κατ' ἐχθρῶν ἐγείρειν, (c) *Deus illi vicem rependens, cunctas fere barbaras gentes pedibus illius ſubjecit, adeo ut tropæa ubique de hoſtibus erigeret*. Illum victorem apud omnes mortales inluſtri præconio renuntiavit, illum formidabilem inimicis & hoſtibus reddidit, quamvis ſuapte natura minime talis, ſed potius manſuetiſſimus, leniſſimus, atque humaniſſimus eſſet omnium mortalium. Hinc in nummo hoſtem confodiens Conſtantinus ipſe repræſentatur.

(c) Euſeb. Lib. I. de Vit. c. 46.

TAB. LXXXI.

Num. I.

D. N. CONSTANTINVS P. F. AVG. *Dominus Noster Constantinus Pius Felix Augustus*, capite laureato, pone littera A.

IN HOC SIN. VIC. *In hoc signo vince*. Littera P decussata, i. e. duæ litteræ X & P junctæ, ΧΡιςȣ *Christi* nomen indicantes, hinc inde S. C. *Senatus Consulto*, superius astrum.



(a) Lib. IIII. de Vit. c. 73.

(b) Lib. I. de Vit. cap. 28.

(c) Cap. 30.

(d) Cap. 31.

NUmmum hunc inlustrat, vicissimque ab eo inlustratur Eusebius (*a*); scribit enim, post mortem Constantini, quo ὡς εἰς ȣρανὸν ἀνιόντα, *ejus in Cœlum adscensum* exprimerent, nummos signasse, πρόσθεν ἐκτυπȣ̃ντες τὸν μακάριον, ἐγκεκαλυμμένον τlὼ κεφαλlὼ σχήματι, *anteriore parte beatum Principem obtecto capite præferentes*. Pars vero nummi posterior factum respicit, quod Constantino in vita degenti accidit. Aliquando itaq; horis diei meridianis, Sole in occasum vergente, Crucis tropæum in Cœlo ex luce conflatum, Soli superpositum ipsis oculis se vidisse affirmavit Eusebio (*b*) Constantinus, cum hac inscriptione, ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ, IN HOC SIGNO VINCE. Quapropter convocatis (*c*) auri ac gemmarum fabris, medius inter eos sedens Imperator, speciem signi eis sermone depinxit, jussitque, ut auro ac lapillis similitudinem ejus exprimerent: quod & se aliquoties vidisse meminit Eusebius. Erat (*d*) autem ejusmodi. Hasta longior auro contecta, transversam habebat antennam instar Crucis. Supra in ipsa hastæ summitate corona erat adfixa, gemmis & auro contexta; Καθ' ȣ̃ τῆς σωτηρίȣ ἐπηγορίας τὸ σύμβολον, δύο ςοιχεῖα τὸ Χριςȣ̃ παρὰ δηλȣ̃ντα ὄνομα, διὰ τῶν πρώτων ὑπεσήμαινον χαρακτήρων, χιαζομένου τȣ̃ Ρ, κατὰ τὸ μεσαίτατον. *In hac salutaris appellationis signum, duæ videlicet litteræ, nomen Christi primis apicibus designabant, linea transversa per mediam litteram P ducta*, prout in nummo cernitur. Quas quidem litteras Imperator in galea gestare posthæc etiam consuevit, signoq; hoc salutari, tamquam munimento adversus oppositas quorumvis copias semper est usus; aliaque ad ejus similitudinem expressa signa cunctis exercitibus præferri jussit; quin & in nummis exprimi curavit; cujus rei testis est inter alios etiam hic noster.

Num.

Num. II.

Inſcriptio Arabica.
VICTORIA CONSTANT*ini*. Victoria alata gradiens & clypeum gerens, in quo VOT.XX., ideſt, *Vota Vicennalia*.

INterpretationes litterarum partis anticæ, traditas a Viris eruditiſſimis & harum rerum peritis, quorum tamen nomina, quum ſint illæ inter ſe diverſæ, reticenda duxi, Lector accipe. Venetiis hanc obtinui: *Pretioſior erit vir auro, & omnis, qui occiderit, occidetur: ſic jubet Rex Gibon Ægypti*. E Gallia edixerunt, litteras hujuſmodi eſſe Arabicas *Cuphicas*, ſeu *Cuphenſes*, eaſque ita ex parte reddiderunt: *Obedientia Principi juſto*. Veroſimile etiam crediderunt, ſublatum fuiſſe Conſtantini caput, & ſuffectas hujuſmodi litteras, idq; factum aliquot poſt ejuſdem Imperatoris ſæcula. Romæ quoque litteræ hujuſmodi pro Cuphenſibus antiquis habitæ ſunt, & hæc earum, quæ mediam nummi partem occupant, reddita interpretatio: *Rex ſapiens juſtus in orbe terrarum*. Promiſſæ etiam aliunde aliæ interpretationes, at nondum adlatæ. Quare nummum in medio relinquo, ut integra ſit cuilibet erudito ulterius interpretandi ac judicandi facultas.

Num. III.

VRBS ROMA, capite galeato.
VIRTVS AVG*uſti*. Imperator paludatus ſtans, cum telo in dextra & globo in ſiniſtra; ad pedes duo captivi.

UNiverſum terrarum orbem inſtar vaſti cujuſdam corporis animo complexus Conſtantinus, τlὼ τȣ̃ παντὸς κεφαλlὼ, τῆς Ρωμαίων ἀρχῆς τὴν βασιλεύȣσαν πόλιν (*a*), *ipſamq; totius mundi caput & imperii Romani dominatricem Urbem*, tyrannica dominatione oppreſſam conſpiciens, contra Maxentium, qui eam opprimebat, movit (*b*), copias fudit fugavitque. Abſumpto (*c*) hinc Tiberis undis Maxentio, Romam ipſam, quam liberaverat, triumphans (*d*) ingreſſus eſt. Quo tempore omnes pariter tam ex Senatu, quam ex equeſtri ordine, tamquam carceris cuſtodia liberati, cum univerſo Populo Romano lætu vultu fauſtiſque acclamationibus cum inexplebili gaudio ex intimo animorum affectu eum excepere.

(a) Euſeb. Lib. I. Vit. c. 26.
(b) Id. c. 37.
(c) Cap. 38.
(d) Cap. 39.

Num.

TAB. LXXXII.

Num. I.

CONSTANTINOPOLIS. Caput muliebre galea lauroque ornatum, cum hasta in sinistra.

VICTORIA AVGG. NN. *Victoria Augustorum Nostrorum*. Victoria stans cum palma in sinistra, dextra coronat mulierem turritam sedentem cum cornucopiæ & ramo.

(a) Zosim. Lib. II. cap. 29.

Rbem aliam (*a*), Romæ parem, in qua palatium sibi conderet, quærenti Constantino Byzantium in Thracia occurrit: cujus urbis situm admiratus, eam quam maxime statuit amplificandam & efficiendam idoneam, ut principis in ea domicilium esset. Nam urbs in colle sita erat, ejus Isthmi partem complexa, quem Isthmum id, quod Ceras sive Cornu vocabant, & Propontis efficiebant. Quumque longe majorem urbem efficere vellet, eam ultra veterem murum quindecim stadiis muro novo circumdedit, qui totum Isthmum a mari ad mare complecteretur. Hoc modo quum urbem priore multo ampliorem redidisset, palatium quoq; condidit, Romano non multum cedens; itidem Circum ad omnem elegantiam perpolivit, extructoque Foro rotundo, quod porticibus distegis inclusit, fornices duos e marmore Proconesio maximos fecit, oppositos sibi. Præterea quibusdam Roma secutis eum Senatoribus domos ædificavit, aliisque exstructis ædificiis urbem auxit & ornavit. Καίσαρα δὲ καταστήσας ἤδη τὸν ἑαυτοῦ παῖδα Κωνσταντῖνον, ἀποδείξας δὲ σὺν αὐτῷ καὶ Κωνστάντιον καὶ Κώνσταντα, παῖδας ὄντας αὐτῷ, ηὔξησε τὴν Κωνσταντινούπολιν εἰς μέγεθος πόλεως σφόδρα μεγίστης. (*b*) *Jam Constantinum filium Cæsarem fecerat, cum quo & Constantio & Constante filiis eodem titulo cohonestatis, Constantinopolim*, ita a se dictam, *ad amplitudinem urbis longe maximæ tam feliciter auxit*: adeoque in nummo galea & hasta munita lauroque ornata, præterea turrita atq; coronata, velut altera Roma, Constantinopolis ipsa comparet. Ramum quoque gestat & cornucopiæ fructibus floribusque refertum, quo loci amœnitas fertilitasque designatur. Quippe Constantinopolis, quæ olim Byzantium, habebat χώραν ἀρίστην καὶ θάλατταν εὐκαρποτάτην, (*c*) *regionem optimam, & mare fructuosissimum*.

(b) Id. eod. Lib. II. cap. 33.

(c) Dio Chrys. Orat. XXXV. in Celænis Phrygiæ pag. 436. D.

Num.

Num. II.

VICTORIA AVG*usti*. Navis, in qua remiges cum signis militaribus & victoria cum palma & corona.

COnstantinus (*a*), postquam in imperio firmatus est, (a) Euseb. Lib. I. de Vit. c. 25. primum quidem imperii partibus sibi a Patre transcriptis prospicere cœpit, universas provincias, quæ antea sub Patris administratione fuerant, cum summa humanitate perlustrans. Sed & barbaros ad Rhenum & occidentalem Oceanum positos, motus concitantes subdidit; alios ab imperii finibus absterruit. Quibus ex animi sententia confectis, reliquas orbis partes sibi ob oculos proponens, τέως μὲν ἐπὶ τὰ Βρεττανῶν ἔθνη διέβαινεν, ἔνδον ἐπ' αὐτῷ κείμενα ὠκεανῷ, παραστησάμενος δὲ ταῦτα (*b*), *adversus Britannicas Gentes in intimo Oceani recessu* (b) Id. ibid. *sitas trajecit, easque subegit*. Hinc ejus in eam insulam trajectum, aut potius ex ea reditum parta jam victoria nummus hic exhibere credi potest. Nisi melius ad celeberrimam illam navalem victoriam referatur, quam de Licinio ad Hellespontum post terrestrem aliam ad Hadrianopolim retulit Constantinus. Habebat hic naves (*c*), quæ singulæ triginta remis agebantur, (c) Zosim. Lib. II. cap. 22. ducentas, & onerarias plures quam bis mille, peditum quoq; CXX., navalium & equestrium copiarum ad X. millia. Licinius vero habebat triremes CCCL., peditum ad CL. prope millia, equitum XV. millia. Qui rursus terrestri prælio apud Chalcedonem superatus est. Quare *Licinius (d) navali & terrestri prælio victus apud Nicomediam se dedidit*; ac postea occisus est. (d) Eutrop. Lib. X. cap. 6.



Num.

Num. III.

CONSTANTINUS JUNIOR FILIUS CONSTANTINI MAGNI.

CONSTANTINVS IVN. NOB. C. *Conſtantinus Junior Nobiliſſimus Cæſar*, capite laureato.

VIRTVS CAES*aris*. Conſtantinus eques elata dextra decurrens, muliere ac milite ſubtus procumbentibus.

(a) Chron. Alex.
(b) Alii Faſt. Coſs.
(c) An. U.C. 1070. Chr. 317.
(d) Idac. in Faſt.



Π. ΓΑΛΛΙΚΑΝΟΥ ΚΑΙ ΣΥΜΜΑΧΟΥ (*a*), *Gallicano & Symmacho*, ſeu potius (*b*) *Gallicano & Baſſo Coſs.* (*c*) *levati* (*d*) ſunt a Conſtantino Imp. *tres Cæſares*, *Criſpus*, *Licinius*, *& Conſtantinus die Kal. Mart.*, tituloque Nobiliſſimorum ornati ſunt. Invaluerat hic titulus, deſignatiſque imperii heredibus tribuebatur. Hinc & Delmatius, ubi ab ipſo Seniore Conſtantino Cæſar eſt dictus, & Conſtantius ejus frater & Hanniballianus, purpurea & aureis ornata limbis veſte uſi leguntur (*e*), τῆς τοῦ λεγομένου Νωβελισσίμου παρ' αὐτοῦ Κωνσταντίνου τυχόντες ἀξίας, αἰδοῖ τῆς συγγενείας, *dignitatem Nobiliſſimorum, ut vocabant, ab ipſo Conſtantino propter agnationis reverentiam conſecuti*. In parte nummi poſteriore *Virtus Cæſaris* Conſtantini commendatur, iſque eques elataque ob victoriam dextra (*f*) ſtratoſque hoſtes exhibetur: ὁ δὲ τὴν πρὸς τοὺς Γέτας ἡμῖν εἰρήνην τοῖς ὅπλοις κρατήσας ἀσφαλῆ παρεσκεύασεν: (*g*) *debellatis enim Getis pacem imperio cum illis tutam ac ſecuram præſtitit*. Auctor eſt Anonymus Valeſianus, *per Conſtantinum Cæſarem centum prope millia fame & frigore extincta fuiſſe*.

(e) Apud Zoſim. Lib. II. Hiſt. c. 36.
(f) Ann. U.C. 1085. Chr. 332.
(g) Julian. Orat. I. de Conſt. M. laudib. pag. 9. D.

TAB.

TAB. LXXXIII.

Num. I.

D. N. CONSTANTINVS IVN. NOB. C. *Dominus Noster Constantinus Junior Nobilissimus Cæsar*, capite nudo.
SACRA MONETA VRBIS. Tres Monetæ.

SUblato Licinio *res Romana sub uno Augusto (a) & tribus Cæsaribus fuit, quum liberi Constantini*, inter quos Constantinus Junior, *Galliæ, Orienti, Italiæque præessent*. Frequens occurrit in nummis horum ac proxime superiorum temporum, trium Monetarum typus, ad designandam auri, argenti, & æris, in publico commercio, integritatem: nam, præterquam quod imperante Aureliano *Monetarii (b) vitiaverant pecunias*, etiam Caracalla adulteratum aurum & argentum præbuerat (c): siquidem pro argento plumbum argentea tectum bractea, pro auro æs inauratum supposuerat. Jam tum *Lege (d) Cornelia testamentaria tenebatur, qui nummos aureos, argenteos adulterasset, lavisset, conflasset, rasisset, corrupisset, vitiasset, vultuque Principum signatam Monetam, præter adulterinam, reprobasset*.

(a) Eutrop. Lib. X. c. 6.

(b) Eutrop. Lib. IX. c. 14.

(c) Excerpt. ex Dione & apud Xiphilin. Libro LXXVII. p.876. E.

(d) Ex Paullo J. C. Lib. V. Recept. sent. Tit. XXV. parag. pr.



Num. II.

CONSTANS.


D. N. FL. CONSTANS AVG. *Dominus Noſter Flavius Conſtans Auguſtus*, capite laureato.

ROMA BEATA. Roma galeata ſedens, dextra victoriolam tenet; ſiniſtra haſtam, cum ſcuto.



DAlmatio & Xenophilo Coſs. (*a*) *levatus* (*b*) *eſt* Cæſar *Conſtans* a Conſtantino Magno Patre, *die* VIII. *Kalendas Januarias*. Feliciano autem & Titiano Coſs. (*c*), quum Conſtantinus Pater ad cœleſtia regna ablatus eſſet XI. Kal. Junias, *ipſo* (*d*) *anno nuncupati ſunt tres Auguſti*, *Conſtantinus*, *& Conſtantius*, *& Conſtans* V. *Idus Septembris*: atque ita ad tres orbis Romani dominatio redacta eſt. Conſtans autem Illyricum (*e*), Italiamque, & Africam, Dalmatiam, Macedoniamque, & Achajam regendas habuit. Τὰ περὶ τὴν ἑσπέραν ἔθνη βάρβαρα πανταχόθεν περικεχυμένα τὴν ἡσυχίαν ἄγειν κατηνάγκασε (*f*). *Gentes barbarorum occiduas undequaque circumfuſas quiete manere coegit*: & quum Conſulatum ſecundum (*g*) una cum Fratre Conſtantio gereret, *victi* (*h*) ſunt *Franci a Conſtante Auguſto ſeu pacati*. Quapropter eo imperante *Roma beata* dicitur, & poſt partam, quam & oſtentat, victoriam, quiete manere cernitur.

(a) Ann. U.C. 1086. Chr. 333.
(b) Idac. in Faſt.
(c) An. U.C. 1090. Chr. 337.
(d) Id. ibid.
(e) Vict. jun.
(f) Liban. in Baſilico p. 137.
(g) An. U.C. 1095. Chr. 342.
(h) Idac. in Faſt.



Num.

Num. III.

CONSTANTIUS.

D. N. CONSTANTIVS AV. *Dominus Noſter Conſtantius Auguſtus*, cum diademate gemmis ornato in capite.
VICTORIA AVGVSTI R*oma*. Victoria cum ſerto & palma inter duos captivos.



JAm de Conſtantio, Conſtantini Magni Filio, dictum eſt (*a*) ſupra. Hic porro nummus ad (a) A nu. 2. Tab. LXXVII. ad nu. 3. Tab. LXXIX. victoriam de Magnentio relatam adquiſitamq; a Conſtantio Romam, indice littera R., ſpectare videtur. Magnentius itaque arrepto imperio, (*b*) occiſoq; Conſtante Conſtantii fratre, tranſalpinas nationes, & ipſam Italiam in poteſtate habuit. (b) Zoſim. Lib. II. Hiſt. cap. 51. Quapropter Conſtantius ex oriente profectus contra Magnentium movit, prælioque apud Murſam vicit. Magnentius omni ſpe deſtitutus, verituſque ne a reliquiis ſuorum Conſtantio dederetur, iis Pannoniæ locis relictis, in Italiam excurrere ſtatuit, aliiſque conlectis copiis aleam pugnæ denuo tentare. Ἐπεὶ δὲ τοὺς κατὰ τὴν Ῥώμην ἔγνω τὰ Κωνσταντίου φρονοῦντας, ἢ τῷ μίσει τῷ πρὸς αὐτὸν, ἢ τῷ τὰ κατὰ τὴν μάχην γεγενημένα μαθεῖν (*c*). *Quum vero Romæ Conſtantii* (c) Id. eod. Lib. *partes foveri cognoſceret, vel odio ſui, vel quod intellectum eſſet de prælii eventu*, alio ſe vertit. Sed, quum præcluſum ubique aditum conſpiceret, inops ab omni parte conſilii, mortem voluntariam turpi ſaluti prætulit, & manibus ſuis quam hoſtium, vitam eripi ſibi maluit. Poteſt etiam ad alias victorias, civiles tamen, nummus referri: quum Conſtantii *in civilibus* (*d*) (d) Eutrop. Lib. X. c. 15. in Conſt. *magis quam in externis bellis ſit laudanda fortuna*. Nam præter *abrogatum* (*e*) *Vetranioni imperium*, Nepotianus quoque (e) Id. eod. Lib. cap. 11. oppreſſus eſt; præterea Judæorum ſeditio (*f*), qui Patri- (f) Vict. de Cæſ. in Conſtantio. cium nefarie in regni ſpecie ſuſtulerant, oppreſſa: Silvanus quoque in imperium coactus, octavum circa ac vigeſimum diem, trucidatus eſt. *Ita longo intervallo* (*g*) *annum fere poſt* LXX. (g) Id. ibid. *relata ad unum cura Reipublicæ*.

TAB. LXXXIIII.

Num. I.

D. N. CONSTANTIVS P. F. AVG. *Dominus Noster Constantius Pius Felix Augustus*, cum diademate gemmis ornato in capite.

VIRTVS AVG*usti* M., forte N., scilicet *Nostri*. Imperator stans paludatus cum telo in dextra, & pila seu orbe in sinistra; ad pedes duo captivi.


Irtus Constantii, victoriis rebusque prospere gestis clari heic prædicatur. Telum itaq; gestat Imperator, orbemque tenet, ut & hostes, qui sub captivorum figura conspiciuntur, superasse, & terrarum orbe, qui pila exprimitur, potitus videatur. *Augustus* (*a*) quoque *pilam in signo constituisse fertur, propter nationes sibi in cuncto orbe subjectas, ut magis figuram orbis ostenderet.*

(a) Isidor. Libro XVIII. Orig. c. 3.

Num. II.

D. N. CONSTANTIVS AVG. *Dominus Noster Constantius Augustus*, capite laureato.

GAVDIVM ROMANORVM. Victoria supra clypeum thorace insignitum sedens, in alio clypeo scribit VOT. XX., h. e. *Vota Vicennalia*.


Oncluso Jani Templo stratisq; hostibus cunctis (*b*), Romam venit Constantius, post Magnentii exitium. *Augustus itaq; faustis vocibus appellatus, & adlocutus* (*c*) *Nobilitatem in Curia Populumq; pro tribunali, in palatium receptus favore multiplici, lætitia fruebatur optata*: vicissimq; lætitiam adtulit Romanis; unde *Gaudium Romanorum* in nummo. De Votis Vicennalibus Constantii (*d*), tum etiam de Victoria (*e*) dictum superius est.

(b) Am. Marcell. Lib. XVI. c. 10.

(c) Id. c. 6.

(d) In Com. ad nu. 3. Tab. LXXIX.

(e) Ibid. num. 2.



Num.

Num. III.

MAGNENTIUS.

IMP. CAE. MAGNENTIVS AVG. *Imperator Cæſar Magnentius Auguſtus*, capite nudo.
VICTORIA AVGVSTORVM. Victoria gradiens, dextra ſertum, ſiniſtra palmam gerit.



Onſtans (*a*) venandi cupidine ductus, dum per ſilvas ſaltuſq; erraret, conſpiravere aliquanti militares in ejus necem, auctoribus Chreſtio & Marcellino ſimulq; Magnentio. Ubi patrandi negotii dies placuit, Marcellinus natalem filii ſimulans, pleroſq; ad cœnam rogat. Itaque in multam noctem convivio celebrato, *Magnentius, quaſi ad ventris ſecreta ſecedens, habitum venerabilem capit*. Ea re cognita, Conſtans fugere conatus, apud Helenam, oppidum Pyrenæo proximum, a Gaiſone cum lectiſſimis miſſo interficitur (*b*). Conſtante mortuo (*c*), Magnentius Italiam, Africam, Gallias obtinuit; & *Decentium* (*d*) *Cæſarem creavit*. Prælio conſerto cum Conſtantio Conſtantis fratre apud Murſiam, quum ſe Magnentius in Italiam recepiſſet, (*e*) *apud Ticinum plures fudit* e Conſtantii exercitu *incautius &, ut in victoria ſolet, audacius perſequentes*. Hinc *Victoria* Magnentii ac Decentii *Auguſtorum* in nummo.

(a) Vict. jun.
(b) An.U.C.1103. Chr. 350. Idacius in Faſt.
(c) Eutrop. Lib. X. cap. 10.
(d) Vict. jun.
(e) Id. Vict.

TAB. LXXXV.

Num. I.

IMP. CAE. MAGNENTIVS AVG. *Imperator Cæſar Magnentius Auguſtus*, capite nudo.
VICTORIA AVGG*uſtorum*. Magnentius paludatus cum victoriola & haſta, coronatur a Victoria palmam ferente.



Lturus fratris Conſtantis cædem Conſtantius, contra Magnentium movit. Cui quum occurriſſet in Pannoniis Magnentius, juxtaq; Murſiam oppidum ad ſe invicem propius acceſſiſſent exercitus, Magnentius ad eas fauces, quæ Adranis adjacent, conlocavit inſidias. Πολλῶν δὲ πεσόντων, Μαγνέντιος μὲν ἐπὶ τοσούτῳ πλεονεκτήματι μεγαλαυχούμενος, κ.λ. (*f*)

(f) Zoſim. Libro II. cap. 43. 44.

compluri-

compluribusq; cæsis, ob rem bene gestam magnopere sese jactitavit, & in nummis a victoria coronari voluit. Hinc Nazianzenus (*a*) ait, Imperatorum quosdam imaginibus suis, νίκας ὑπὲρ κεφαλῆς ϛεφανέσας, *victorias caput eorum corona cingentes* appingi voluisse.

(a) Invect. in Julian.

Num. II.

D. N. MAGNENTIVS P. F. AVG. *Dominus Noster Magnentius Pius Felix Augustus*, capite nudo.

SALVS D. N. MAGN. ET CAES. *Salus Domini Nostri Magnentii & Cæsaris* Decentii. A ☧ ω, idest Α῎λφα ΧΡιϛὸς ϗ Ω῍μέγα, *Principium Christus & Finis.* Subtus littera M.

MIrum videri potest, Magnentium, qui εἰς δὲ τὸν Θεὸν ἠσέβησε (*b*), *impius in Deum fuit*, quove auctore (*c*) *sacrificia nocturna permissa sunt*, Christum heic *Principium & Finem* sibi constituere. At hoc ejus timori tribuendum, aut simulationi dandum, qua veros Christi cultores obstringere sibi voluit. Ceterum tunc temporis (*d*) signum Crucis Christi Hierosolymis sub horam tertiam, ipso die Pentecostes, Nonis Maji, in Cœlo velut lumen apparuit a monte Oliveti ad Golgotha, in quo loco Dominus crucifixus est, extensum versus Orientem, unde Dominus in Cœlum adsumptus est; corona, quæ Iridis speciem referebat, Crucem pretiosam, quæ apparuit, in orbem ambiente. Eadem vero hora etiam Constantio Augusto in Pannoniis, ejusque exercitui visum est in bello contra Magnentium; quumq; cœpisset Constantius cum illo confligere ad urbem Mursam, Magnentius victus cum paucis in Galliam fuga evasit.

(b) Athanas. in Apolog. ad Constantium p. 299. edit. Paris. ann. 1698.
(c) L. V. Cod. Theod. de Paganis,
(d) Chron. Alex. ad an. Const. XVI



Num.

Num. III.

DECENTIUS.

D. N. DECENTIVS NOB. CAES. *Dominus Noſter Decentius Nobiliſſimus Cæſar*, cum haſta in dextra, & globo, cui Victoria inſiſtit, in ſiniſtra.
VICTORIA AVGVSTORVM. Decentius paludatus cum ramo in dextra & haſta in ſiniſtra, trahitur a Victoria.

QUum Conſtantius Gallum fratrem patruelem Cæſarem pronuntiaſſet (*a*), *Magnentius quoque Decentium conſanguineum* (*b*) *ſuum trans Alpes Cæſarem creavit*. Quumque *apud Ticinum plures* e Conſtantii militibus *fudiſſet* Magnentius, complures etiam in Pannoniis (*c*) per inſidias cæcidiſſet, has quoq; victorias cum Decentio communicavit: unde in partem victoriæ trahi videtur in nummo ipſe Decentius.

(a) Vict. jun.

(b) Fratrem ex alt. Vict. & al.

(c) Vid. Com. in num. tert. Tab. LXXXIV. & pr. LXXXV.

TAB. LXXXVI.

Num. I.

D. N. DECENTIVS NOB. CAES. *Dominus Noſter Decentius Nobiliſſimus Cæſar*, capite nudo.
VICTORIA AVGG*uſtorum*. Victoria ſertum palmamque gerens, captivum premit.

VIctoriarum typi parum quidem Magnentio conveniunt, utpote qui fere ſemper Conſtantio inferior in præliis fuit; at eo minus conveniunt Decentio. *Magnentius* enim (*d*) *Decentio Cæſari Gallias commiſit*; at *Rex* (*e*) *Alamannorum Chonodomarius & Decentium Cæſarem ſuperavit*, æquo Marte congreſſus, & civitates multas vaſtavit, licentiuſq; diu nullo refragante Gallias perſultavit.

(d) Vict. de Cæſ.

(e) Ammian. Marcell. Lib. XVI. cap. 12.



Num.

Num. II.

JULIANUS.

D. N. FL. CL. IVLIANVS P. F. AVG. *Dominus Noster Flavius Claudius Julianus Pius Felix Augustus*, cum diademate gemmis ornato in capite.

SECVRITAS REIPVB. AQVIL. P. *Securitas Reipublicæ Aquilejensis Pecunia*, seu *Aquilejæ Percussa* Moneta. Taurus duobus supereminentibus astris.



Nno U. C. MCVIII. (*a*), *die* (*b*) VIII. *Idus Novembris*, *Constantius* (*c*) *Claudium Julianum*, *Fratrem Galli honore Cæsaris adsumpsit*. Quinto post anno consensu militum *Julianus* (*d*) *factus Augustus est*, interjectoq;anno, ad Illyricum obtinendum profectus, Constantio Parthicis bellis occupato: qui rebus cognitis, ad bellum civile conversus, in itinere obiit inter Ciliciam & Cappadociam Mopsucrenis, III. Non. Novemb. (*e*) Tauro & Florentio Coss. (*f*), & introivit Julianus Augustus Constantinopolim die III. Idus Decembris. Quum autem Imperator dæmonum superstitioso cultui admodum deditus esset, & ad aras Deorum suorum adsidue tauros immolaret (*g*), *βῶμον κ̀ ταῦρον ἐντυπωθῆναι κεκέλευκει τῷ ἑαυτȣ̃ νομίσματι*, *aram & taurum sculpi jussit in nummis suis*. Quumq; præstituto feriarum die Casium montem in Syria adscendisset (*h*), ibiq; Jovi fecisset rem divinam, oblata sunt ei Rectoris Ægyptii scripta, *Apim bovem* operosa quæsitum industria, tamen post tempus inveniri potuisse firmantis: quod, ut earum regionum existimabant incolæ, faustum, & ubertatem frugum diversaq; indicabat bona. At Antiochenses, quum frugum inopia laborarent, objiciebant Juliano, *τὸ νόμισμά τε αὐτȣ̃ ταῦρον ἔχειν, κ̀ τὸν κόσμον ἀνατέτραφθαι* (*i*), *in nummis ejus taurum esse insculptum*, *& orbem eversum esse*. Aquilejenses vero Constantii partes secuti, quum Juliani copiis restitissent, obsessiq; ac lacessiti damnum intulissent, comperta demum morte Constantii, ex diuturno angore portis reclusis (*k*), *omnes effusi suscepere læti pacificum Ducem*; eiq; postea hoc numisma dicarunt: in quo exhibetur Julianus, ut etiam ab Ammiano Marcellino (*l*) describitur,

(a) Chr. 355.
(b) Idac. in Fast.
(c) Vict. jun.
(d) Eutrop. Lib. X. cap. 15.
(e) Idac.
(f) An. U. C. 1114. Chr. 361.
(g) Socrat. Lib. III. H. Eccl. c. 17.
(h) Am. Marcell. Lib. XXII. c. 14.
(i) Socrat. ibid.
(k) Am. Marcell. Lib. XXI.
(l) Lib. XXV. cap. 4.

bitur, *capillis, tamquam pexiſſet, mollibus, hirſuta barba in acutum deſinente veſtitus, venuſtate oculorum micantium flagrans, ſuperciliis decoris, & naſo rectiſſimo, ore paullo majore, labro inferiore demiſſo, opima & incurva cervice, humeris vaſtis & latis.* Videtur etiam cum *ambitioſo diademate*, quo uſus legitur (*a*), *lapidum fulgore diſtincto*. Felice largitionum Comite profluvio ſanguinis repente extincto, eumq; Comite Juliano ſecuto, (*b*) *vulgus publicos contuens titulos, Felicem Julianum Auguſtumque pronuntiabat*; per hunc nempe jocum irridebant Julianum Antiochenſes.

(a) Apud eumd. Lib. XXI. c. 1.

(b) Id. Li. XXIII. in princ.

Num. III.

J O V I A N U S.

D. N. IOVIANVS P. F. AVG. *Dominus Noſter Jovianus Pius Felix Auguſtus*, cum diademate gemmato in capite.
VRBS ROMA. Roma galeata ſedens cum globo in dextra & haſta in ſiniſtra, ſubtus ſcutum.


Ortuo ex vulnere Juliano VI. Kal. (*c*) Julias anni U. C. MCXVI. (*d*), ſubſequenti die *levatus eſt Chriſtianiſſimus Jovianus Auguſtus*. Qui quidem (*e*) ad imperium delectus, illud repudiavit: &, quum a militibus invitus raperetur, clamavit ſe, qui Chriſtianus erat, nolle omnino hominum gentilitatem profitentium imperium ſuſcipere. At, ubi omnes una voce confeſſi ſunt ſe eſſe Chriſtianos, capeſſit imperium: eoque imperante omnia gentilium delubra occluſa fuiſſe, ſubdit (*f*) Socrates; gentiles vero alios aliis in locis ſe occultaſſe. *Pius* igitur merito inſcribitur in nummo, & *inſignis* (*g*) *corpore* ex ore dignoſcitur.

(c) Eutrop. Lib. X. c. 16.

(d) Chr. 363.

(e) Socrat. Lib. III. Hiſt. Eccleſ. c. 22.

(f) Ibid. c. 24.

(g) Vict. jun.



TAB. LXXXVII.

Num. I.

VALENTINIANUS.

D. N. VALENTINIANVS P. F. AVG. *Dominus Noster Valentinianus Pius Felix Augustus*, cum diademate in capite.

RESTITVTOR REIPVBLICAE R.P. Valentinianus paludatus cum labaro in dextra, Cruce Christiq; nomine insignito, habet in sinistra Victoriam ipsum coronantem.

(a) Socrat. in princip. Lib. IV. Hist. Eccles.
(b) An. U.C. 1117. Chr. 364.



Ovianus Imperator quum (*a*) Dadastanis, sui ipsius & Varroniani filii consulatu (*b*), die XVI. aut XVII. Februarii e vita migrasset; milites ex Galatia discedentes, septimo post die Nicæam Bithyniæ veniunt, κοινῇ ψήφῳ, Οὐαλεντινιανὸν ἀνακηρύττουσι βασιλέα, τῇ πέμπτῃ καὶ εἰκάδι τοῦ αὐτοῦ Φεβρουαρίου μηνὸς ἐν τῇ αὐτοῦ ὑπατείᾳ: *omnesque una voce Valentinianum die* XXV. (*c*) *illo ipso consulatu Imperatorem renuntiant.* Valentinianus (*d*) fuit *vultu decens*, solers ingenio, animo gravis, sermone cultissimus, quamquam ad loquendum parcus, severus, infestusque vitiis, maxime avaritiæ, cujus punitor ipse fuit acer. Quumque Christum coleret, gestat hoc in nummo signum militare, *quod a Romanis labarum vocabatur*: χρυσῷ καὶ λίθοις τιμίοις εἰς σταυροῦ, σύμβολον μετασκευάσαι τὸ παρὰ Ῥωμαίοις καλέμενον λάβαρον: (*e*) prout illud *in effigiem Crucis, auro lapidibusque pretiosis conlustratam*, Constantinus Magnus commutavit. Multa vero egit (*f*) Valentinianus moderatoris auctoritate fundati, ac plura per se vel Duces correxit industrios; in provinciales admodum parcus, tributorum ubique molliens sarcinas; Oppidorum (*g*) & limitum conditor tempestivus, militaris disciplinæ censor eximius. Quibus rebus *Restitutoris Reipublicæ* cognomen merito sibi adquisivit. Fortiter etiam feliciterq; bella administravit, Alamannis ad exitium ultimum deletis, peremptisq; Saxonibus; unde a Victoria, ut in nummo videtur, coronari meruit. Duæ litteræ R. P., quæ in parte nummi postica habentur, *Romæ Percussum* hunc ipsum nummum indicant.

(c) XXVI. ex Idac. & Marcell. & Chron. Alex.
(d) Vict. jun.
(e) Sozomen. Lib. I. Hist. Eccl. c. 4.
(f) Am. Marcel. Lib. XXX. c. 7.
(g) Id. eod. Lib. paullo post.

Num.

Num. II.

D. N. VALENTINIANVS P. F. AVG. *Dominus Noster Valentinianus Pius Felix Augustus*, cum diademate gemmis ornato in capite.


VRBS ROMA. Roma galeata sedens, dextra Victoriolam, sinistra tenet hastam.

DEscribitur a Marcellino *(a)* *corpus Valentiniani lacertosum & validum*: & dicitur *capilli fulgor colorisque nitor, cum oculis cæsiis semper obliquum intuentibus & torvum, atque pulchritudo staturæ, lineamentorumque recta compago, majestatis regiæ decus implevisse*. In parte verò hujus nummi posteriore victoriam dextra protendit urbs Roma, vel ut Valentiniano, cui merito debebatur, illam exhibeat; vel ut ipsius Victoriæ cultum, qui Romæ inscio tamen Valentiniano durabat, exprimat. Ejus aram auferri jusserat Constantius *(b)*, at restituta videtur imperante Juliano; permansitq; sub Valentiniano, qui de hac re ita se excusat per D. Ambrosium *(c)*. *Nemo ad me detulit aram esse in illa Romana Curia: nunquam tantum nefas credidi, quod in communi illo Christianorum Gentiliumque concilio sacrificarent Gentiles; hoc est insultarent Gentiles præsentibus Christianis; & inviti Christiani interesse sacrificiis cogerentur.*

(a) Lib. XXX. cap. 9.

(b) Vid. Com. in nu. 2. & 3. Tab. LXXIX.

(c) Ep. ad Valentin. jun., quæ est 17. Clas. I. n. 16. pag. 828.



Num. III.

V A L E N S.

D. N. VALENS P. F. AVG. *Dominus Noſter Valens Pius Felix Auguſtus*, cum diademate gemmis ornato in capite.

RESTITVTOR REIPVBLICAE R. P. forte *Romæ Percuſſa* Moneta. Valens paludatus dextra haſtam cum Monogrammate Chriſti, ſiniſtra globum gerit cum Victoriola.



Mperium adeptus Valentinianus, quum veniſſet Conſtantinopolim (*a*), multa ſecum ipſe divolvens, & magnitudini urgenti negotiorum jam ſeſe parare conſiderans, nihil morandum ratus, V. *Kal.* (*b*) *Aprilis* (*c*) *productum fratrem Valentem in ſuburbanum*, univerſorum ſententiis concinentibus, nec enim audebat quiſquam refragari, *Auguſtum pronuntiavit, decoreque imperatorii cultus ornatum, & tempora diademate redimitum, in eodem vehiculo ſecum reduxit.* Valens autem, quamvis ab Eudoxio (*d*) Arianæ hæreſeos Epiſcopo baptizatus, in ſæviſſimam hæreſim delapſus ſit, conatuſque Catholicos perſequi, nonniſi fratris auctoritate compreſſus ſit, Chriſti tamen nomen haſtæ infixum, æque ac frater hoc in nummo gerit, ut ipſius Chriſti, etſi Deum ſimul fateri nollet, cultor videretur. *Reſtitutor* quoque *Reipublicæ* æque ac Valentinianus dicitur, quum & ipſe reſtituendæ Reipubl. operam dederit, rebuſque cum fratre proſpere geſtis a Victoria, quam heic in ejus manibus videmus, coronari meruit.

(a) Ammian. Lib. XXVI. c. 4.

(b) IV. Kal. ex Chron. Alex.

(c) An. U. C. 1117. Chr. 364.

(d) Paull. Diac. de Feſtis Rom.



TAB.

TAB. LXXXVIII.

Num. I.

GRATIANUS.

D. N. GRATIANVS P. F. AVG. *Dominus Noſter Gratianus Pius Felix Auguſtus*, cum diademate gemmis ornato in capite.

VRBS ROMA, galeata ſedens cum globo in dextra, & haſta in ſiniſtra, ad cujus imum ſcutum, inferius R. T.



Alentinianus, quum (*a*) jam anno tertio imperii cum Valente fratre ageret, *Gratianum* filium, nec dum bene puberem, hortatu ſocrus & uxoris *Auguſtum creavit*. Itaque *Lupicino* (*b*) *&* *Jovino Coſs.* (*c*) *levatus eſt Gratianus Auguſtus* in Galliis apud Ambianos in tribunali a Patre ſuo Auguſto Valentiniano, *die* IX. *Kal. Septembris*, corona (*d*) indumentiſque ſupremæ fortunæ ornatus. Tum a militibus inſurrectum eſt in laudes Majoris Principis, & novelli maximeq; pueri, *quem oculorum flagrantior lux commendabat, vultuſque & reliqui corporis jucundiſſimus nitor & egregia pectoris indoles*: quæ Imperatorem impleſſet cum veterum lectiſſimis comparandum, ſi per fata, inquit Ammianus Marcellinus (*e*), proximoſque licuiſſet, & qui virtutem ejus etiam tum inſtabilem adnubilabant artibus pravis. Pietate (*f*) & religione omnes pæne, qui ante fuerant, Principes ſuperavit. Romanum imperium, cujus typum poſtica nummi hujus pars exhibet, tenuit Gratianus (*g*) *cum Patre Valentiniano annos* VIII., *dies* LXXXV., *cum Patruo* Valente *& fratre* Valentiniano *tres*; *cum eodem fratre ac Theodoſio quatuor*; *& cum his omnibus accedente Arcadio menſes ſex*; ſeu potius integros in totum annos XVI.

(a) Paull. Diac. de geſtis Rom.

(b) Idac. cum Chron. Alex. & Socrat. Libro IV. Hiſt. Eccl. c. 10.

(c) An. U. C. 1120. Chr. 367.

(d) Am. Marcell. Lib. XXVII. c. 6.

(e) Ibid.

(f) Ruf. Lib. II. Hiſt. Eccl. c. 13.

(g) Vict. jun.



Num.

Num. II.

JUSTINIANUS.

D. N. IVSTINIANVS P. P. AVG. *Dominus Noſter Juſtinianus Pater Patriæ*, ſeu *Perpetuo Auguſtus*, cum caſſide gemmis ornata in capite, dextra Crucem elevat, ſiniſtra ſcutum tenet; in area alia Crux.

ANNO XIII. M. A. KYZ. In area Crux.

(a) Evagr. Lib. IV cap. 9. Marcell. Chron.

(b) Cedren. Comp Hist. p. 366. B.

(c) Evagr. Libro IV. c. 9.



Alendis (*a*) Aprilis anni ab Incarnatione Dei DXXVII., Juſtinus Imperator morbo correptus, προεχειρίσατο εἰς βασιλέα Ἰεστινιανὸν τὸν ἴδιον ἀνεψιὸν, καὶ ἔστεψεν αὐτὸν (*b*), *Juſtinianum ſororis ſuæ filium conlegam imperii adſcivit, ac coronavit*, cumque eo quatuor menſes imperavit. Kal. Auguſti (*c*) ejus anni mortuo Juſtino, Juſtinianus imperium Romanum ſolus gerere cœpit. Tertio decimo igitur imperii anno cudit dedicavitque ei hunc nummum *Cyzicus* Myſiæ urbs, quæ & litteras M. A. addidiſſe credi poteſt, ut *Monetam* ipſam ex *Officina prima* prodiiſſe, oſtenderet. Perſecutionem (*d*) Græcæ religionis & omnium hæreſum inſtituit Juſtinianus: quumque multos procerum labe Ariana vitiatos deprehenderet, bonis eorum publicandis, & ſuppliciis irrogandis, magnum aliis terrorem incuſſit, lege etiam lata, ut nemo niſi orthodoxus rempublicam gereret: hinc inter Cruces conſpicitur in nummo. Imaginem quoque (*e*) ſuam poſuit ſuper columnam in equo, quæ ſiniſtra manu ferebat globum, quo fictor innuit univerſum terræ & maris orbem ipſi Juſtiniano ſervire. Non gladium, non haſtam, aliudve geſtabat armorum genus, ἀλλὰ σταυρὸς αὐτῷ ἐπὶ τοῦ πόλου ἐπίκειται, *ſed Crucem globo impoſitam*; cujus auſpiciis imperium & victorias adeptum ſe noverat Imperator.

(d) Id. ibid.

(e) Procop. de ædific. Lib. I. p. 10.



Num.

Num. III.

D. N. IVSTINIANVS P. P. AVG. *Dominus Noſter Juſtinianus Pater Patriæ*, ſive *Perpetuo Auguſtus*, cum diademate gemmis ornato in capite.

ROMA M. A. in corona lauri cum duplici Cruce, & monogrammate ☧.

Mperator Juſtinus, quo tempore Juſtinianum conſortem imperii fecit, τῇ ἐκείνȣ κεφαλῇ περιθεὶς τὸ διάδημα (a), *ſuis manibus ejus capiti diadema impoſuit*, cum quo comparet in hoc nummo. Quumque populus in equeſtre theatrum conveniſſet, Juſtinianus ἐςεμμένος (b) *coronatus* ingreſſus eſt, & ab omnibus fauſtis acclamationibus exceptus, in regiam eſt reverſus, τεσσαράκοντα καὶ πέντε τότε τυγχάνων ἐνιαυτῶν, *annos* XLV. *natus eo tempore*, quot & præfert in numiſmate. Fuit ipſe Juſtinianus ſtatura corporis aliquantulum mediocrem excedente, ἐρυθρὸς τὴν χροιὰν, χαροπὸν καὶ εὐπερίςροφον βλέπων, καὶ τὴν κεφαλὴν πρὸς κόμης κάλλος μικρὸν ἐψιλωμένην (c), *ruber*, *cæſiis & volubilibus oculis*, *capite nonnihil glabro*. Romæ nummum hunc cuſum, *monetamq*; hujuſmodi ex Officina *prima* prodiiſſe, litteræ in parte averſa indicant. Crucem quoque, *duaſque (d) litteras nomen Chriſti primis apicibus deſignantes*, quas primum induxit Conſtantinus, expreſſit Juſtinianus, ut fidem religionemq; ejuſdem Conſtantini retinere dignoſceretur.

(a) Zonar. Ann. Lib. XIV. num. 5. p. 60.

(b) Id. ibid.

(c) Cedren. Comp. Hiſt. p. 366. C.

(d) Vid. Com. in num. prim. Tab. LXXXI.



TAB.

TAB. LXXXIX.

Num. I.

D. N. IVSTINIANVS P P. AVG. *Dominus Noster Justinianus Perpetuo Augustus*, capite coronato, & in area ☧.

M. A. Crux cum duobus astris & litteris SCLS.



SEnex heic apparet Justinianus. Porro sub extremam ætatem in eorum hæresim incidit (*a*), qui opinati sunt Dominum non mortalem carnem adsumpsisse, sed eam, simulatq; adsumpta esset, immortalem exstitisse: atque in hanc opinionem omnes adducere conatus est, in eaque decessit, βασιλεύσας ἔτη τριάκοντα, καὶ ὀκτὼ, μῆνας ἑπτὰ, ἡμέρας τρισκαίδεκα (*b*), *quum regnasset annos* XXXVIII., *menses* VII. *dies* XIII. Crux cum astris in parte nummi aversa forte immortalem Crucifixi Domini carnem denotat, juxta falsam ejusdem Justiniani opinionem. Monogramma, seu contractæ simul in parte nummi anteriore litteræ, *Christi* nomen designare posse, mihi videntur; illas vero partis posterioris melioribus felicioribusque ingeniis explicandas relinquo.

(a) Zonar. in An. Lib. XIV. num. IX. p. 69.

(b) Id. ibid. p. 70.



Num. II.

THEODAHATUS REX.

D. N. THEODAHATVS REX *Dominus Noſter Theodahatus Rex*, cum corona in capite & paludamento ad pectus gemmis ornato.

VICTORIA PRINCIPIS S. C. *Senatus Conſulto*. Victoria roſtro navis inſiſtens, cum ſerto in dextra & palma in ſiniſtra.



Gothorum Rege Athalarico in Italia imperante, inter Gothos quidam erat *(a)*, nomine *Theodahatus*, filius Amalafridæ ſororis Theodorici Regis, provecta jam ætate homo, ac latinis quidem litteris & Philoſophia Platonis imbutus, ſed rei bellicæ plane rudis, ſumme ignavus, & avaritiæ deditus extra modum. Hunc, quum ejus rapacitatem coercuiſſet, adeoque ſibi infenſum reddidiſſet Amalaſuntha Athalarici mater, poſt mortem filii ipſum ſibi conciliare ſtudens, ad regnum vocavit *(b)*. *Principatum adeptus Theodahatus (c)*, Θευδάτος μὲν τὴν ἡγεμονίαν παραλαβὼν, tum ſpem Amalaſunthæ, tum ſui promiſſi fidem prorſus fefellit, ipſamque conjecit in carcerem, poſteaque occidit. Qua de re certior factus Imperator Juſtinianus *(d)*, bellum Theodahato indixit. Concurrentibus exinde in Dalmatia utriuſque exercitibus, commiſſoque prælio *(e)*, magna utrinque ſecuta eſt clades. Quo tempore cuſus videtur hic nummus; nam poſtea inferior exſtitit, magnamq; ditionis partem amiſit Theodahatus. Quare congregati apud Regeta Gothi *(f)*, ſibi Italiſque Regem eligunt Vitigem. Quo Theodahatus audito, præcipiti fuga Ravennam petit. At inſecutus, Vitigis juſſu, Optaris eumq; adſecutus in via, afflixit humi, ac reſupinum inſtar victimæ jugulavit, τρίτον ἔχοντα ἔτος, regni *anno tertio*.

(a) Procop. Lib. I. de Bell. Goth. cap. 3.

(b) An. Chr. 534. Pag. in Crit. ad hunc ann. n. VII.

(c) Id. Proc. eod. Lib. c. 4.

(d) Id. c. 5.

(e) Cap. 7.

(f) Cap. 11.



Num. III.

MAURICIUS.

D. N. MAVRI. TIBER. PP. AVG. *Dominus Noster Mauricius Tiberius Perpetuo Augustus*, pectore tenus, cum galea gemmata in capite, & cruce elata in dextra.
ANNO ς III M. B. KYZ. In area Crux.



Tiberius Imperator, quum ad extremum spiritum edendum accessisset, Mauricio, quem ad imperium administrandum jam evexerat, filiam Augustam conlocavit in matrimonium, καὶ τὴν βασιλείαν ἀντὶ φερνῆς παραδόντος αὐτῷ (a), *& imperium pro dote tribuit* (b): ac etiam sua ipsius nomina illis impertivit, τὸν μὲν Μαυρίκιον Τιβέριον, τὴν δ' Αὐγοῦσταν Κωνσταντῖναν προσειπών, (c) *siquidem Mauricium Tiberium, Augustam appellavit Constantinam*. Dicitur (d) Mauricius nuptiarum tempore adtulisse vestem χρυσόπαστον, ἁλουργίδι καὶ λίθοις Ἰνδῶν κεκοσμημένην, στεφάνους τε χρυσῷ πολλῷ καὶ ταῖς ἐκ λίθων ποικιλίαις τε καὶ διαυγείαις τιμαλφεστάτους, *auro intertextam, purpura & lapidibus Indicis conlustratam, coronasque multo auro & magna lapidum pretiosorum varietate ac splendore inluminatas*. Hinc & in nummo vestem habet coronamque gemmis lapidibusque ornatas. Gestat præterea Crucem, quippe ne dum regia magnificentia, sed & Θεοσεβείᾳ (e), *vera pietate* nuptias celebravit, imperiumque rexit. *Anno* autem imperii *septimo* cusus est hic nummus, siquidem litteram seu figuram ς pro nota numeri in ordine *quinti*, prout alibi (f) occurrit, & ab aliis explicatur, accipiamus. Litteras M. B. KYZ. *Monetam* in Officina *secunda Cyzici* cusam interpretantur harum rerum periti. Meminit vero Sozomenus (g) plurimorum Christianorum, τῶν τευχόντων τοῦ νομίσματος, *qui* imperante Juliano *cudendæ monetæ artem exercebant* Cyzici.

(a) Evagr. Libro V. Hist. Eccl. cap. 22.
(b) Anno Christi 582.
(c) Id. ibid.
(d) Apud eumd: Lib. VI. c. 1.
(e) Id. ibid.
(f) Vid. apud Car. du Fresne, & Bandur. in Justiniano p. 618. & seqq., Justino jun. pag. 650., Tiber., Mauric., & Heracl.
(g) Libro V. H. Eccl. c. 14.



TAB. LXXXX.

Num. I.

F O C A S.

D. N. FOCAS AVG. *Dominus Noſter Focas Auguſtus*, cum corona in capite, codicillis in dextra, & Cruce in ſiniſtra.
ANNO XXXX. NIKO*media*.



Ocas imperium occepit, factus de Centurione Imperator (*a*). Statura fuit mediocri, deformis, ἐκπληκτικὴν ἔχων τὴν ὄψιν, τὴν τρίχα πυῤῥίζουσαν, συνόφρύς τε, καὶ τὸ γένειον κηρόμενος, ἔχων οὐλὴν ἐπὶ τῆς παρειᾶς αὐτοῦ, ἥτις ἐν τῷ θυμοῦσθαι, αὐτὸν ἐμελαίνετο, (*b*), *terribilis adſpectu, rubente capillo, ſuperciliis coeuntibus, mento raſo, cicatrice in mala notatus, quæ ipſo iraſcente denigrabatur*, vinoſus, mulieroſus, ſanguinarius, rigidus, in dicendo ferox, a miſeratione alienus, moribus feris, hæreticus. Cum Cruce tamen, pietatis ſymbolo, exhiberi voluit, ſeu illum adulatio exhibuit in nummis. Codicillos quoque imperii rationum, quamvis Rempublicam peſſumdaret, manu tenet Focas. Numerus autem XXXX., qui in parte nummi poſteriore legitur, deſignare non poteſt Focæ ipſius imperium, quippe ἐβασίλευσεν ἔτη η', (*c*) *imperavit annos octo* tantum. Monetæ valorem eruditiſſimus Jobertus (*d*) interpretatur. Deficit porro minor numerus, qui in aliis Focæ nummis videtur, quiq; ad annos imperii ejuſdem pertinet. Legimus *Monetam*, ſeu Officinam cudendæ monetæ ædificari *Nicomediæ* (*e*) curaſſe Diocletianum, quum hanc urbi Romæ coæquare ſtuderet.

(a) An. Chr. 595. ex Cedreno, ſeu potius 602.

(b) Cedr. Comp. Hiſt. p. 404. C.

(c) Id. ibid.

(d) Scien. ſeu Not. num. Inſtr. XI.

(b) Lactan. Firm. de Mort. Perſ. c. 7.



Num. II.

E M M A N U E L.

IC. X. EMMANȣHΛ. *Jeſus Chriſtus. Emmanuel.* Chriſti imago.

Imperator coronatus ſtans ſceptrum tenet in dextra, Cruce ſeu Chriſti nomine inſignitum, & codicillos in ſiniſtra.



Mperator Joannes Comnenus, morti proximus, quum Emmanuelem filium, natu minimum Iſaacio fratri ob egregias ejus dotes prætuliſſet, & ad imperium deſignaſſet, ταινίᾳ διαδεῖ τῇ βασιλικῇ ϗ τὴν χλαμύδα ἐπενδύει τὴν περιπόρφυρον, (a) *eum imperatorio diademate ornavit, & chlamyde prætexta induit.* Hinc Romanæ legiones convocatæ, Emmanuelem Romanorum Imperatorem ſalutarunt, unoquoq; procerum cum ſua cohorte ſeorſim ſtante, & novum Imperatorem clara voce conſalutante. Deinde prolatis divinis Oraculis, ſtudium quiſque ſuum & fidem confirmat. Quippe parens Emmanuelem ſuſcipiendum propoſuerat (b), *ut Imperatorem divinitus deſignatum*, ſuoque ſuffragio imperium capeſſentem. *Ac eum a Deo prælatum & prædeſtinatum eſſe ad imperium, argumento ſint*, inquit Joannes, *multæ prædictiones, & divinorum hominum præſagia, quæ omnia Emmanuelem Imperatorem fore pronuntiarunt.* Hinc in nummo nomen & imago *Jeſu Chriſti*, cui acceptum referebat imperium Emmanuel. In parte vero poſteriore Emmanuel ipſe conſpicitur, cujus e vultu gratia quædam elucebat (c), & arridentes oculi aliquid illecebrarum in ſe habebant; procera ſtatura, quamvis nonnihil inflexa; colore neque albo & niveo, ut qui in umbra educati ſunt; neque etiam admodum fuſco, ut ii, qui a ſole ſunt aduſti; ſed ita inter nigrum & candidum medio, ut, quamvis ad nigredinem tenderet, tamen decorus eſſet.

(a) Nicet. in Ann. de Joann. Comn. verſ. fin. p. 31. A. B. Confert hoc Pagius in ann. Chr. 1143. Vid. in Crit. ad eumd. an. num. IX. & X.

(b) Id. p. 30. D.

(c) Id. Lib. I. pag. 35. C. de Emman.



TAB.

TAB. LXXXXI.

Num. I.

M. AGRIPPA.

M. AGRIPPA L. F. COS. III. *Marcus Agrippa, Lucii Filius, Consul tertium.* Caput Agrippæ corona laurea, seu forte rostrata, cinctum.

S. C. *Senatus Consulto.* Neptunus stans cum strophio, sinistra tridentem tenet.



Ascentem in pedes procedere, contra naturam est (*a*), quo argumento eos appellavere *Agrippas*, ut ægre partos: qualiter *M. Agrippam* ferunt genitum unico prope felicitatis exemplo in omnibus ad hunc modum genitis. Quanquam is quoq; adversa pedum valetudine, misera juventa, exercito ævo inter arma mortesque, ad noxia successu, infelici terris stirpe omni, sed per utrasque Agrippinas maxime, quæ Cajum & Domitium Neronem Principes genuere, totidem faces generis humani; præterea brevitate ævi, quinquagesimo uno raptus anno, in tormentis adulteriorum conjugis, *Socerique prægravi* servitio, luisse augurium præposteri natalis existimatur, inquit Plinius (*b*). Classi Augusti præfectus dicitur a Vellejo (*c*) *M. Agrippa*, virtutis nobilissimæ, labore, vigilia, periculo invictus, parendique sed uni scientissimus, aliis sane imperandi cupidus, & per omnia extra dilationes positus, consultisque facta conjungens. In Sicilia (*d*) post navalem contra Sex. Pompejum victoriam cæruleo vexillo Agrippam donavit Augustus. Quin & *insigne coronæ classicæ, quo nemo umquam Romanorum donatus erat, hoc bello Agrippa singulari virtute meruit*, eodem Vellejo (*e*) teste; quod & prodit Dio Cassius (*f*), ac Livius (*g*). At vero Plinius cum *M. Varrone*, cui Pompejus coronam navalem dederit, communicat (*h*) hoc decus. Ipsum Agrippam *usque in tertium Consulatum amicitia* (*i*) *Principis*, nempe Augusti, evexit. Hinc Martialis (*k*) de *tertio* ejusdem, tum etiam Pompeji Consulatu cecinit:

(a) Plin. Lib. VII. c. 8.
(b) Ibid.
(c) Lib. II. c. 79.
(d) Suet. in Oct. c. 25.
(e) Lib. II. c. 81.
(f) Lib. XLVIII. pag. 457.
(g) In Epitom. CXXIX.
(h) Lib. VII. c. 30. & Lib. XVI. c. 4.
(i) Vellej. Lib. II.
(k) Lib. VIII. Epigr. 66.

Pompejo

Pompejo dederit licet Senatus,
Et Cæſar genero ſacros honores,
Quorum pacificus ter ampliavit
Janus nomina.

Porro, quum acceptas navales victorias Neptuno referret Agrippa, & Neptunum ipſum exhibuit in nummis; τῦτο μὲν γὰρ τὴν ϛόαν τῦ Ποσειδῶνος ὠνομασμένην, καὶ ἐξῳκοδόμησεν ἐπὶ ταῖς ναυκρατίαις, (a) *& porticum Neptuni propter* eaſdem *victorias navales exstruxit* Romæ, *Argonautarumque pictura decoravit*. Ipſe vero Neptunus in hoc nummo, juxta quod fabulabantur veteres, *tridentem* (*b*) *pro ſceptro regio manu tenet*, tum etiam in aliis hujus generis nummis habet *delphinum* (*c*), quem ei gratiſſimum eſſe arbitrabantur. *Tridentem autem loco ſceptri gerit, nimirum quod piſcatores, quando piſcibus inſidiantur, plurimum tridente utantur: aut quod triſulcum hoc inſtrumentum admodum idoneum ſit ad terram movendam. Sic enim ſcriptum eſt* (*d*):

Καὶ δ᾽ αὐτὸς ἐννοσίγαιος ἔχων χείρεσσι τρίαιναν,
Ἡγεῖτ᾽· ἐκ δ᾽ ἄρα πάντα θεμέσθλια θῆκε θύραζε.
Neptunuſque manu geſtans utraque tridentem,
Cuncta foras protrudens fundamenta præibat.

(a) Dio Caſs. Lib. LIII. p. 515. A.
(b) Albric. de Deor. imag.
(c) Hygin. Lib. II. Aſtron. in Delph.
(d) Phurnut. de Neptun.



TAB.

TAB. LXXXXII.

Num. I.

L. VERUS.

L. VERVS AVG. ARM. PARTH. *Lucius Verus Augustus Armeniacus Parthicus*, capite laureato.
TR. P. VIII. IMP. IIII. COS. III. *Tribunicia Potestate octavum, Imperator quartum, Consul tertium*. Juppiter stans cum fulmine & hasta duas figuras pallio protegit.



Uæ suo loco (*a*) tradidimus de L. Vero ejusque titulis, lucem & his nummis adferunt. Quod vero spectat Tribuniciam Potestatem VIII., quæ heic habetur, eam anno U. C. DCCCCXX., (*b*) quarto Idus Decembris accepit Lucius. Porro duo illi, quos Juppiter in parte nummi postica pallio protegit, esse possunt Marcus & Lucius, hic paludatus; nam *ad Parthicum* (*c*) *bellum Senatu consentiente Verus missus est*; Marcus vero togatus apparet; etenim *Romæ remansit, quod res urbanæ Imperatoris præsentiam postularent*.

(a) Com. in num. 2. Tab. XXIV. & 3. Tab. XIX.

(b) Chr. 167.

(c) Capit. in Marc. cap. 8.

Num. II.

L. VERVS AVG. ARMENIACVS IMP. II. TR. P. *Lucius Verus Augustus Armeniacus Imperator iterum, Tribunicia Potestate*, capite laureato.
Hercules cum clava & pelle leonis in sinistra, elataq; ad caput dextra stat ante aram accensam, pone arbor cum pharetra.



Uctor est Æschylus (*d*), Herculem, quo tempore a Geryone boves abduxerat, iter fecisse per Ligurum fines, quos conatos ab eo abducere pecus, manus contulisse, & *quam plures eorum sagittis confixisse*. Receptis bubus, (*e*) *aram Jovi inventori posuisse*, eiq; sacra Herculem fecisse, legimus.

(d) Apud Hygin. Lib. II. Astron. in Engonas.

(e) Dionys. Halic. Lib. I. Ant. Rom. pagina 31. alias 25. Vid. Com. in nu. 1. Tab. XVI.



Num.

Num. III.

COMMODUS.

M. AVREL. COMMODVS ANTONINVS AVG. *Marcus Aurelius Commodus Antoninus Augustus*, laureatus.

TR. P. VIII. IMP. V. COS. IIII. P.P. *Tribunicia Potestate octavum, Imperator quintum, Consul quartum, Pater Patriæ.* Pallas armata sedens cum Victoriola, lancea & scuto.



DE Commodo satis alibi (*a*) dictum, ita ut heic adnotare sufficiat, Tribuniciam Potestatem VIII. die quarto Idus Decembris anno U. C. DCCCCXXXV. (*b*) illum auspicatum esse; proximis vero Kalendis Januariis *Consul* IIII. processit. Palladem quoque, seu Minervam in alio ejusdem Commodi nummo jam conspeximus (*c*), deque ea disseruimus. (*d*) *Minerva* itaque, *quæ alio nomine Pallas dicta est, pingebatur a Poetis in similitudinem unius Dominæ armatæ lorica, ipsamque cassis cum crista desuper tegebat: ipsa autem lanceam tenebat, & scutum cristallinum habebat.* Victoriam (*e*) quoque Minervæ adsidere tradiderunt, quod vincenti victoriam tribuat. Victos porro legimus (*f*) sub Commodo per Legatos Mauros, victos Dacos, Pannonias quoque compositas, in Britannia, in Germania, & in Dacia imperium ejus recusantibus provincialibus: hinc sæpius *Imperator*, *octies* nempe dictus est ipse Commodus.

(a) Commen. in Tab. XXVI. & seqq.


(b) Chr. 182.

(c) Num. IIII. Tab. XXVII.

(d) Albric. de Deorum imag. in Minerva.

(e) Phurnut. de Nat. Deor. in Minerva.

(f) Apud Lampr. in Vit. c. 13.



INDEX

INDEX
RERUM ET NOMINUM PROPRIORUM.

A

ABgarus Rex. Pag. 150.
Aboni-murus oppidum Paphlagoniæ. 55.
Actia certamina. 121.
Adani Ciliciæ. 134.
Ægæi Æoliæ. 59. Ciliciæ. 180. Eorum Epocha. 181.
Ælia Capitolina Colonia. 25. 26.
Æsculapius. 55. 56. 58. 92. 111. 116. 124.
Africa. 43.
M. Agrippa corona rostrata donatur ab Augusto. 237.
Agrippina mater Caji Cæs. in Pandatariam insulam relegatur a Tiberio Imp. ibique moritur; inde vero ejus ossa cum pompa Romam advecta a filio. 15.
Alabandenses Cariæ. 109.
Albinus Cæsar. 93. Cos. II. 94.
Alexander Paphlago falsus vates. 55.
Alexander *Severus* Cæs. & Imp. movet contra Persas. 137. 141. Alexandrum Magnum imitatur. 139.
Alexandrea certamina. 118.
Amasia Metropolis, Neocora, & Prima Ponti, ejusque Epocha. 140.
Antinous Hadriani Imp. 34. & seqq.
Antiochia Cæsarea Colonia Pisidiæ. 158.
Antoninus Caracalla Cæsar cum imperatoriis insignibus. 99. particeps imperii dicitur. 100. Cos. IV. 117. Alexandrum M. imitatur. 108. 118. Æsculapium colit sanitatis caussa. 112. 119.
Antoninus Pius adoptatur ab Hadriano, eique succedit in imperio. 39. agri cultor. 40.
M. Antonius Triumvir. 6.
Apis Bos Ægypti. 38. 224.
Aphrodisienses inter Lydiam, & Cariam. 129.
Apollo. 131. Clarius. 153. 172. Patareus. 151. Pythius. 172.
Arabica inscriptio. 213.
Archontes. 102.
Asyla. 178.
Attaleæ quatuor hujus nominis urbes. 186.
Attalus Sophista. 5. 57. 61.
Augustus. 8. ejus consecratio. 11. apud Actium vincit M. Antonium. 121.
Aurelianus fit Imp. 190. Zenobiam, & Zabam vincit. 190. 191.
M. Aurelius adoptatur ab Antonino Pio, fit Cæsar & Cos., uxorem ducit Faustinam, ac Tribunicia Potestate ornatur. 51. ejus res gestæ, Armeniacus, Parthicus, & Medicus dicitur, tum etiam Germanicus. 52. & seqq. usque ad 66.

B

BAcchus. 55. 178. 180.
Bithyniæ Commune. 30. 33.
Bithynium urbs Bithyniæ. 37.
Philippus Bonarota laudatur. 2.
Byzantium urbs Thraciæ. 138. augetur, & ornatur a Constantino M., ac Constantinopolis appellatur. 214.

C

CÆsar-Augusta urbs Hispaniæ. 8.
Cæsarea Antiochia Colonia. 158.
Caracalla. Vid. Antoninus Caracalla.
Carinus Cæsar cum potestate Augusti. 199. vincitur a Diocletiano. ibid.
Carthago urbs Africæ Colonia Pia Julia. 14.
Castor. 79.
Cendresia Certamina. 122.
Centauri. 4. 20. 67.
Ceratapa urbs Phrygiæ. 98.
Ceres. 178. 184.
Certamina Actia. 121. Alexandrea. 118. Asiæ communia. 100. Cendresia. 122. Hadrianea. 28. Oecumenica. 186. Olympia. 123. 179. 186. Sacra Pergæorum. 186. 187. Thracum communia. 118.
Claudius Gothicus Imp. 189.
Clotho. 147.
Colophon urbs Ioniæ. 153.
Commagene regio. 118.
L. Aur. Commodus Cæs., Germanicus, & Sarmaticus dicitur. 74. triumphat cum patre, Trib. Pot. ornatur, Imp., Cos. des. 75. 76. Pius, Felix, Britannicus, Imp. VI. VII. VIII. nuncupatur, Classem Africanam instituit, Remp. pessumdat. 76. 78. 240. Prænomen *Lucii* in illud *Marci* mutat, Antoninus appel-

pellatur, Cof. III. 77., Cleandrum interficit. 80., Herculem imitatur. 82. 83.
Concordia. 58. 65. 67. 110.
Congiarium. 16.
Conftans Conftantini M. filius Cæfar, & Auguftus. 218. occiditur. 221.
Conftantinopolis. 214.
Conftantinus Jun. Cæfar. 216.
Conftantinus M. Cæfar, Imp., & Auguftus. 209. primus diadema gemmatum geftat. ibid. ejus virtutes, victoriæ, & in Remp. merita ufque ad 215. ejus in cœlum adfcenfus in nummis expreffus. 212. Crucis tropæum ei apparet in cœlo. ibid. Byzantium auget, & ornat, ac Conftantinopolim appellat. 214.
Conftantius Jun. 204. & feqq. ejus XX. 208. Vetranionem facundia exauctorat, Nepotianum, & Magnentium vincit. 205. 209. 220.
Confecrationis ritus. 11. 185.
Confulares codicilli. 65. Confularia infignia. 42. 117. 175.
Contorniati nummi. 22.
Corcyra infula & urbs. 126. 127.
Coronæ aureæ Imperatoribus oblatæ. 85.
Corycos Ciliciæ oppidum. 178.
Cremna Colonia. 170.
Creta infula. 91.
Crifpina Commodi uxor. 92. a marito propter adulterium interfecta. 93.
Crucis fignum in Cœlo apparet Conftantino M. 212. ac Conftantio filio. 222.
Cuma urbs Æoliæ. 35.
Cyzicus urbs Myfiæ. 27. 67. 68. 83. 210. 234.

D

DArdanus urbs Troadis. 97.
Decentius Cæfar. 221. 223.
Trajanus Decius Imp. 168. ad 170.
Dempfterus laudatur. 2.
Diadumenianus filius Macrini Imperat. Cæfar ac Princeps Juventutis. 133.
Diana. 28. 29. 45. 46. 66. 101. 109. 167. ejus fimulacrum Ephefi, delapfum a Jove creditum. 45. 180.
Dictynna. 91.
Diocletianus Imp. 200. 201.
Diofcuri. 68.
Dolabella Procof. Africæ. 14.
Domitianus Imp., Dei fil. dicitur, de Cattis & Dacis triumphat. 20.

E

EDeffa Mefopotamiæ Colonia & Metrop. 154.
Elagabalus Antoninus Imp. 135.
Elagabalus dictus a Syris Sol. 135. 191.
Emmanuel Imp. pius. 236.
Ephefus. 28. 66. Neocora. 45. 98. 101. 130. Prima Afiæ. 46. 129. 132. 180.
Erythræ urbs Ioniæ. 136.
Etrufca infcriptio. 2.
Herennia Etrufcilla Decii Imp. uxor. 170. 171.

F

FAuftina Antonini Pii Imp. uxor. 49.
Fauftina M. Aurelii Imp. uxor. 50. 67. 68.
Florianus Imp. 193.
Focas Imp. 235.
Fortuna. 157. 168. Redux. 174. 181. 182.

G

SEr. Galba Imp. 19.
Gallienus Cæfar. 176. Imp. 177. 181. 185.
Trebonianus Gallus Imp. 173.
L. Gavius Caffius. 14.
L. Sept. Geta Severi fil. Cæfar. 100. 128. a fratre Caracalla difcrepat. 105. Imp. 129. occiditur a fratre. 103. 107.
Glycon, five Æfculapius. 56.
Gordianus Pius Cæfar & Imp. 149. Perfas vincit, ejus nummi ufque ad 159.
Gorius, *Antonius Franc.* laudatur. 2.
Gratianus Imp. 229.
Gratiæ tres. 146.
Gryphus. 1.

H

HAdrianea certamina. 28.
Hadrianei Myfiæ, feu Bithyniæ. 160.
Hadrianopolitæ Stratonicenfes Cariæ. 108. Thraciæ. 109.
Hadrianotheritæ Myfiæ. 97.
Hadrianus Imp. adoptatus nec ne a Trajano. 23. 26. 27. differt nomen Patris Patriæ. 23. venationis ftudiofus. 24. Olympius nuncupatur, Herculem imitatur. 27. 28.
Havercampus *Sigeb.* 23.
Hercules. 1. 45. 97. 113. 136. 157. 239. Anteum conftringit. 165. Cacum occidit, & aram Jovi ftatuit. 41. Centaurum percutit, Geryonem interficit. 139. Herculi templum ædificat Sep. Severus. 98.

Her-

Hermus fluvius. 59. 113. 114.
Hierapolis urbs Phrygiæ. 135. 167.
Hierosolyma deducitur ab Hadriano Colonia & Ælia Capitolina vocatur. 25. 26.
Homerus a Smyrnæis cultus. 30.
Hostilianus Imp. 172.
Hygia. 111.
Hyllus fluvius. 114.
Hypæpa urbs Lydiæ. 136.

I

JAnus. 2. Clusius, ejusque sacellum. 17.
Jovianus Imp. 225.
Isis. 35. 145. 147.
Judæi rebellantes sub Hadriano compressi. 25. prohibitique Hierosolyma ingredi. 26.
Julia Pia Severi uxor, ejus mores, & infortunia. 103.
Julianus Apostata Cæsar, & Imp. 224.
Juno. 9. 26. 44. 111. 153. 169. Martialis. 173.
Juppiter. 26. 51. 53. 57. 58. 61. 91. 138. Casius. 19. Labrandenus. 128. Philalethes. 6.
Justinianus fit consors imperii a Justino, eique succedit. 230. 231. in hæresim incidit. 232.

L

L nota Græcorum ad designandum annum. 36.
Labrandenus Juppiter. 128.
Lacedœmonii. 89.
Lanuvium, ibique Draco Junonis Argolidis. 44
Laodicea urbs Phrygiæ. 32. 57. 58. 61. 65.
Leontini Siciliæ. 106.
Liberalitates Imperatorum. 175.
Livia Augusti uxor. 9.
Lucilla Veri uxor. 72.
Lunus, & Luna. 154. 187.
Lupa Remum, & Romulum lactans. 157.

M

MAcrinus Imp. 131.
Marcb. Scipio Maffejus laudatur. 3.
Magnentius Imp. 221. 222.
Mamæa Alexandri Imp. Mater. 142. 144.
Mappa ludorum. 65.
Mars. 3. 24. 89.
Mater Deum Dindymene. 113. 114.
Mater Magna. 57. 59. 89. 90. 101. 124. 152.
Mauricius Imp. 234.
Maximianus Herculius Cæsar, Imp. & Aug. 200. 202. 203.
Maximinus Imp. 145.
Maximus Cæsar filius Maximini Imp. 145.
Mercurius. 14. 15. 37. 60.
Millesimus annus ab urbe condita. 163. 164.
Minerva. 26. 60. 79. 93. 153. 155. 156. 240.
Moneta. 176. 182. 189. 195. 199. 200. 201. 202. 203. 217.
Monetarii Romæ rebellant. 196. 200.
Muratorius *Ludovicus Antonius* laudatur. 12.
Mylasa urbs Cariæ. 128.
Mytilenenses Lesbi. 29. 87. 105.

N

NAtivitas hominum, ac lustratio. 72.
Navarchis urbs. 178. 180.
Neapolis Syriæ Palæstinæ ejusque Templum in monte Garizim. 46. 47.
Nemeses. 61. 84. 99. 112. 153. 169.
Neptunus. 62. 238.
Nero Imp. 16. 17. ejus de Parthis victoria. 18.
Nicomedia urbs Bithyniæ Templum statuit Augusto, ac Commodo. 87. bis Neocora. ibid. & 158.
Nobilissimi titulus Cæsaribus datus. 166.
Nuceria urbs magnæ Græciæ. 60.

O

OCtavia M. Antonii uxor. 6. 7.
Olympia certamina. 28. 123. 179. 186.
M. Oppius Capito. 6.
Osiris. 36.
Otacilia Philippi Imp. uxor. 161. 165.

P

PAllas. 35. 60. 90.
Parcæ. 148. 154.
Patara urbs Lyciæ. 151.
Patræ urbs Achajæ. 9.
Perga Pamphyliæ urbs. 115. 186. Sacrum Pergæorum certamen. ibid.
Pergamum urbs Asiæ. 58. 70. 107. Æsculapium colebat. 92. 111. 112. 116. Ejus concordia cum Smyrna. 112. 122. 124. Prima ac ter Neocora. 119. 123. 179.
Perinthus urbs Thraciæ. 65. Neocora. 115. 116. 117. 121. 141. 142.
Perperene urbs Asiæ. 55. 165.
Philippi duo, Imp. & Cæs. Christiani. 161. 162. 163. 165.
Philippopolis urbs Macedoniæ. 118. 122.

Phocæa urbs Ioniæ. 84. 145.
Phœnix. 210.
Plautilla Caracallæ Imp. uxor. 126.
Polemon Sophista. 29. 38.
Postumus Imp. 188.
Prætor, ac Prætura. 152.
Prima communia Asiæ certamina. 100. Thracum. 118.
Probus Imp. 194. 195. & seqq.
Processus Consulares, & triumphales. 42. 117.
Proserpinæ raptus. 31. 92.
Pythia certamina. 118. 121.

Q

QUirinus Card. Emin. laudatur. 127.

R

RAtis rostrum. 3.
Rhea a Phrygibus culta. 32.
Rhodus urbs, & insula. 18.
Roma. 205. 213. 218. 225. 227. 229. 231. ut Dea culta. 21. Templum ei dicatum. 13. 22. 120.
Rufinus Sophista. 100. 101.

S

SAbina Hadriani uxor. 32. 33.
Sæculum. 164.
Sætteni Asiæ. 114.
Sagalassei Pisidiæ. 189.
Salonina Gallieni uxor. 177. 182. 184.
Saloninus Gallieni fil. Cæs. occisus, & consecratus. 185. 186.
Samii. 99. 111. 153. Primi Jonum. 169.
Samosata Commagenes. 118.
Sarapis. 35. 116. 147.
Sardiani Lydiæ. 66. 102.
Senatus Romanus. 5.
Sept. Severus Imp. 94. Nigrum, Arabas, & Adiabenos vincit. 95. 96. Byzantium obsidet & expugnat. 96. Se M. Aurelii filium, & Cōmodi fratrem appellat. 96. Crudelis. 98. Parthicus dicitur, ludosq; ob victorias celebrat. 100.
Sillyei Sebasteni. 184. 187.
Smyrnæi. 38. 57. 58. 61. 67. 84. 85. 89. 99. 100. 101. 120. Concordia juncti cum Pergamenis. 112. 122. 124. cum Lacedæmoniis. 89. Smyrnæ conditores Theseus & Alexander M., restitutores M. Aurelius & Cōmodus Impp. 90
Sol. 48. 190. 194.
Stratonicea urbs Cariæ. 108. Hadrianopolitæ Stratonicenses. ibid.

T

TAcitus Imp. 192.
Tarsus Ciliciæ Metropolis, Juliopolis dicta, inde Hadriana, & Commodiana. 88. 104. Prima. 125. Mediterraneæ, sive Majoris Ciliciæ 143. 146. 147. 148. 155. 156. 157. 165. 171.
Telesphorus. 111.
Temenothyræ urbs Lydiæ. 178.
Temnus urbs Æoliæ. 152.
Theodahatus Rex Italiæ. 233.
Theologus. 123.
Thracum commune. 118.
Thyatireni Lydiæ. 86. 113. 131. 138.
Tiani Paphlagoniæ. 50.
Tiberius adoptatur ab Augusto, fit Cæsar, & Imp. V dicitur. 13. succedit Augusto, Imp. VIII. appellatur, ejus Consulatus. 14. ei ac matri Templum dicatur ab Asiæ civitatibus. 120.
Tomis urbs Ponti. 150.
Trajanus Cæsar, & Imp., succedit Nervæ. 21. ejus Consulatus V. & consecratio. 22.
Trallis urbs Lydiæ. 113.
Tranquillina Gordiani Pii Imp. uxor. 160.
Triens. 3.
Tropæum. 97.

V

VAlens Imp. 228.
Valentinianus Imp. 226.
Valerianus Imp. 176. a Persis capitur. 177. 182.
Valerianus Junior Gallieni frater. 183.
Venus Herculem trahens. 70.
L. Verus Imp., Armeniacus, Parthicus, Medicus dicitur, Imp. IIII., Cos. III. 69. 239. ejus mores, & acta. 70. 71.
Victoria. 53. 54. 147. 169. 188. 206. 207. 208. 213. 214. 215. 219. 221. 223. 233. ejus simulacrum e Curia Romana sublatum. 208. ac restitutum. 227.
Ulysses Corcyram adpellit. 127.
Volusianus Imp. 174.
Vota X. 162. XX. 208. 220.

Z

ZOdiacus. 48.

FINIS.

NUMISMATA

ÆREA

SELECTIORA

MAXIMI MODULI

E MUSEO

PISANO

OLIM

CORRARIO



Venetys Apud Io: Baptistam Albritum. Hieronymi Filium.

REI NUMMARIÆ STUDIOSIS.



Vod tantopere litterati Viri desiderarunt en PISANA Maximi moduli Numismata. Hæc olim à HIERONYMO CORRARIO magni nominis Senatore inchoata collectio, per ANGELUM ejus Filium paternæ laudis æmulatorem aucta fuit, atqve exornata. In æs etiam hic incidenda curaverat, ut privatas opes publici juris faceret, sed fato prohibitus est. Huius Filia superstes ELISABETH, digna prorsus qvæ tantæ Familiæ nomen una sustineret, HERMOLAO PISANO, summa vel ab eo tempore spe Adolescenti nupsit, ALOISIJ EQVITIS, ac Ædis D. Marci Procuratoris, Et in Patria muneribus, Et legationibus obitis amplissimi Filio. Cum multa dotis nomine in PISANAM Domum, tum etiam pretiosam hanc supellectilem intulit. Superis procul dubio ita volentibus, ut per HERMOLAUM PISANŨ alterum Mariti Patruum in lucem producerentur, Si qvis vero Numismata ipsa consulere velit, Et cum his ectypis conferre, instructissimã adeat PISANORUM Bibliothecam, ubi, Et cuiusvis moduli Numismata, Et alia qvam plurima antiqvitatis monumenta inveniet, qvæ, Et nobilissimæ Domui, Et Patriæ, cui ut bonus Civis summopere gratulor, ornamento esse possunt.

Index

Agrippa. Tab. LXXXXI.
Agrippina. V.
Albinus. XXXIII.
Alexander. *M*. I.
Alexander Seu. XLVIII. XLIX. L.
Antinous. XII. XIII. XIV.
Antoninus Pius. XV. XVI. XVII. XVIII.
M. Antonius. III.
Aurelianus. LXXI. LXXII.
M. Aurelius. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII.
Augustus. III. IV.
Caracalla. XXXVIII. XXXIX. XL. XLI. XLII. XLIII. XLIV.
Carinus. LXXV.
Claudius Goth. LXXI.
Commodus. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. LXXXXII.
Constans. LXXXIII.
Constantius Chl. LXXVII. LXXVIII. LXXIX.
Constantius. LXXXIII. LXXXIV.
Constantinus. *M*. LXXX. LXXXI. LXXXII.
Constantinus Iun. LXXXII. LXXXIII.
Crispina. XXXII.
Decentius. LXXXV. LXXXVI.
Decius. LX. LXI.
Decius Iun. LXII.
Diadumenianus. XLVI. XLVII.
Diocletianus. LXXV. LXXVI.
Domitianus. VII.
Elagabalus. XLVII. XLVIII.
Emmanuel. LXXXX.
Etruscilla. LXI. LXII.
Faustina. XVIII. XIX.
Faustina Iun. XXIII. XXIV.
Florianus. LXXII.
Focas. LXXXX.
Galba. VII.
Gallienus. LXVII. LXVIII.
Treb. Gallus. LXIII.
Geta. XLV.
Gordianus Pius. LIII. LIIII. LV. LVI.
Gratianus. LXXXVIII.
Hadrianus. VIII. IX. X. XI. XII. I.
Hostilianus. LXII.
Ianus. II.
Iouianus. LXXXVI.
Iulia Pia. XXXVII.
Iulianus. LXXXVI.
Iustinianas. LXXXVIII. LXXXIX.
Lucilla. XXV.
Macrinus. XLVI.
Magnentius. LXXXIV. LXXXV.
Iulia Mamea. L.
Mauritius. LXXXIX.
Maximianus. LXXVI.
Maximianus Cæs. LXXVII.
Maximinus. LI. LII.
Nero. VI.
Otacilia. LVIII. LIX.
Philippus. LVII. LVIII. LIX.
Philippus Iun. LX.
Plautilla. XLIV.
Posthumus. LXX.
Probus. LXXIII. LXXIV.
Roma. II.
Sabina. XI. XII.
Sacer Senatus. III.
Salonina. LXVIII. LXIX.
Sept. Seuerus. XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI.
Seuerina. LXXI.
Tacitus. LXXII.
Theodahatus. LXXXIX.
Tiberius. IV. V.
Traianus. VII. VIII.
Sab. Tranquillina. LVII.
Valens. LXXXVII.
Valentinianus. LXXXVII.
Valerianus. LXIV. LXV. LXVI.
Valerianus Iun. LXIX. LXX.
L. Verus. XXIV. XXV. LXXXXII.
Volusianus. LXIV.


Tab. I






Tab. II.







Tab. III.


ΙΕΡΑ.CΥΝ ΚΛΗΤΟC.


ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ ΑΝΕΘΗ ΚΕ ΑΤΤΑΛΟC
ΛΑΟ ΚΕ
ΔΙ ΩΝ


M.ANT.IMP.COS DESIG ITER ET TER.III.VIR.R.P.C.


M.OPPIVS CAPITO PRO PR PRAE CLASS



AVGVSTVS


CA

Tab. IIII


INDVLGENTIAE.AVG MONETA INPETRATA
CAESARI
AVG
COL AAP
DIVVS AVGVSTVS
IMP.NERVA.CAESAR.AVGVSTVS.REST.
S C
TI.CAESAR.AVGVSTI F IMPERATOR.V
ROM.ET.AVG

Tab. V.


TI. CAE. DIVI. AVG. F. AVG. IMP. VIII. COS. IIII.
C. VIBIO. CAS. PERMIS. P. DOLABELLAE. PRO. COS. C. L.
C P I
AGRIPPINA M F MAT C CAESARIS AVG
S P Q R
MEMORIAE
AGRIPPINAE

Tab VI.


NERO CLAVD CAESAR AVG GERM P M TR P IMP P P
CONG II DAT POP R
NERO CLAVDIVS CAESAR AVG GER P M TR P IMP P P
PACE P R TERRA MARIQ PARTA IANVM CLVSIT
ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡ ΝΕΡΩΝ
ΡΟΔΙ ΩΝ


ΒΑ . ϹΕΒ


ΖЄΥϹ ΚΑ
ϹΙΟϹ






TRAIANO


AETERNA

Tab. VIII.


DIVO TR
AIANO



HADRIANVS AVG. COS. IIII P.
COS IIII PP


HADRIANVS
COS III

Tab. VIIII


HADRIANVS AVG COS III P P
IVDAEA
IMP CAES TRAIANVS HADRIANVS AVG

Tab. X



Tab. XI.


ΠΟΛΕΜΩΝ
CΤΡΑΤΗΓΟC ΑΝΕ
ΘΗΚΕ


ΚΟΙ
ΝΟΝ
ΒΕΙΘΥΝΙΑC











CΤΡΑ
ΤΗΓΟC
ΛΑΟΔΙ
ΚΕΩΝ


Tab. XII.


CEBACTH
ΣABEINA
KOI
NON
BEIΘYNIAC



ANTINOOC
HPΩC


ANTINOOC
HPΩC

Tab XIII


ANTINOOC ΗΡΟC
AYT. KAIC. TPAIAN. AΔPIANOC. CEB
L H
ANTINOOY ΗΡΩΟC
L
K Λ

Tab XIIII


Η ΠΑΤΡΙC ΑΝΤΙΝΟΟΝ ΘΕΟΝ.
ΒΕΙΘΥΝΙΕΩΝ ΑΔΡΙΑΝΩΝ
ΑΝΤΙΝΟΟC ΗΡΩC
ΠΟΛΕΜΩΝ. ΑΝΕΘΗΚΕ CΜΥΡΝΑΙΟΙC
ΑΝΤΙΝΟΟC. ΗΡΩC.
ΠΟΛΕΜΩΝ. ΑΝΕΘΗΚΕ ΑΙΟΙC
CΜΥΡΝ

Tab. XV.


ANTONINVS · AVG · PIVS · P · P · TR · P
COS II
ANTONINVS · AVG · PIVS · P · P · TR · P · XIX · COS · IIII

Tab. XVI


ANTONINVS.AVG PIVS.P.P.TR.P.XVIII
COS.IIII
ANTONINVS.AVG PIVS.P.P.TR.P.COS.IIII
ANTONINVS.AVG PIVS.P.P.TR.P.XXIII
COS.IIII

Tab XVII







ΑΥ·ΚΤ·ΑΙ·ΑΔΡΙΑ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC


ΔΙC ΝΕΩ ΚΟΡΩΝ
ΕΦΕCΙΩΝ


ΔΙC ΝΕΩ ΠΡΩ ΤΩΝ ΑCΙΑC
ΕΦΕCΙΩΝ


ΦΛ·ΝΕΑCΠΟ ΛΕΩC CΥΡΙΑC ΠΑ
ΛΑΙCΤΙΝΗ

Tab. XVIII


ANTONINVS.AVG PIVS.P.P.TR.P.COS.III
DIVA.AVG FAVSTINA
SECV RITAS

Tab IXX.


ΦΑΥϹΤΕΙΝΑ ϹΕΒΑϹΤΗ
ΤΙ ΑΝΩΝ
AVRELIVS.CAESAR.AVG. PII.F.TR.P.II.COS.II.
M.ANTONINVS.AVG ARM.PARTH.MAX
TR.P.XXII. IMP.IIII. COS.III.

Tab XX.


IMP.VI.COS.III.
VICT.GERM


COS III


AY.KAI.M.AYPH. ANTωNEINOC.


ΠΕΡ
ΠΕ
PH



ΦIC.
TAIC.ΠATPICI
CMYP.ΛAO


ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ
OMONOIA


Tab XXI


AY.KAI.M.AYPH. ANTΩNEINOC
EΠI KΛAYΔIA
AIΓAEΩN



AYT.KAI.AYPHΛI ANTΩN.APM
N OYKH PHNΩN


ATTAΛOC.COΦICTHC.TAIC.ΠATPICI
CMYP.ΛAOΔ

Tab XXII


AVRELIVS.CAES. ANTON.AVG.PII.F.
M AVR.EL.ANTONINVS AVG P M IMP
COS III
M AVREL ANTONINVS AVG IMP

Tab. XXIII



Tab. XXIIII.


ΚΟΡΗ CΩΤΕΙΡΑ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ


ΕΠΙ ΑΥΡΗ ΑCΙΑΡ
ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ



L.VERVS.AVG.ARM. PARTH.MAX


TR·P·VII·IMP·IIII


ΑΥΤ.ΚΑΙ.Λ. ΑΥΡ.ΟΥΗΡΟC


ΕΠΙ.CΤΡ.ΑΤΥΛ.ΚΡΑΤΙΠΠΟΥ.ΠΕΡΓΑΜΗ
ΔΙC ΝΕΩΚΟ
ΡΩΝ

Tab XXV


L. VERVS. AVG. ARM. PARTH. MAX.
TR. P. VI. IMP. VIII. COS. II.
LVCILLAE. AVG. ANTONINI. AVG. F.

Tab XXVI


L.AVREL.COMMODO.CAES.AVG.FIL.GERM.SARM
IMP.CAES.L.AVREL.COMMODVS.GERM.SARM
TR.POT.COS
IMP.COMMODVS
AVG.PIVS.FELIX
VOTIS

Tab. XXVII


M.COMMODVS.ANTONINVS.AVG.PIVS
VOTA.PVBLICA
FIDES EXERCIT
P.M.TR.P.XII.IMP.VII.COS.V.P.P

Tab. XXVIII


M.COMMODVS.ANTONINVS PIVS.FELIX.AVG.BRIT.
FORT.FELI.P.M.TR.P.XIIII.IMP.VIII.COS.V.P.P.
TEMPORVM.FE
LICITAS
COS VI
L.AELIVS AVRELIVS COMMODVS.AVG.PIVS.FELIX
HERC.ROM.CONDITORI.P.M.TR.P.
COS.VII.P.P.

Tab XXIX



Tab. XXX


ΑΥΤ.Ο.ΚΑΙ.Λ. ΑΥΡΗ.ΚΟΜΟΔΟC
ΘΥΑΤΕΙΡΗ
ΝΩΝ.


ΕΠΙ CΤΡ.ΑΡΙCΤΟΜ
ΜΥΤ
ΙΛΗΝΩΝ
ΜΗ
ΝΚΟ
ΛΕΩΝ
ΔΙCΝΕΩΚΟ
ΡΩΝ


ΑΥΤ.ΚΑΙ.Λ.ΑΥΡΗ. ΚΟΜΟΔΟC.CΕΒ
ΑΔΡΙΑΝΗC.ΚΟΜΟΔΙΑΝΗC
ΚΟΙΝΟΝ
ΚΙΛΙΚΙΑC
ΔΙCΝΕΩΚΟΡ
ΩΝ
ΤΑΡCΟΥ.ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC

Tab. XXXI.



Tab XXXII



Tab XXXIII.


D CLODIVS SEPTIMIVS ALBINVS CAES
MINER PACIF COS II


L SEPTIMIVS SEVERVS PERTINAX AVG IMP IIII
VICT AVG P M TR P II COS II P P


PERTINAX AVG IMP VII
COS II P P

Tab XXXIIII


ΣΕΟΥΗΡΟΣ
ΕΠΙ ΣΤΡ ΝΑΡΑΤΙΟΥ ΔΙΟΓΕΝΟΥΣ ΑΔΡΙΑΝΟΘΗΡΕΥΤΩ
N
ΣΕΟΥΗΡΟΣ
ΕΦΕΣΙΩΝ Β Ν ΕΟΚΟΡΩΝ

Tab. XXXV.


ΑΥΤ ΚΑ СΕΠ СΕΥΗΡΟС ΠΕ
ΕΠΙ СΤΡ ΚΛ ΑΡΙСΤΟΦΑΝΟΥС
СΜΥΡΝΑΙ
ΑΥ·ΚΑ·СΕ·СΕ·
ΟΥΗΡΟС
ΠΡΩ
ΤΑ ΚΟΙΝ
Α ΑСΙΑС
СΜΥΡΝ
ΑΙΩΝ

Tab. XXXVI.


ΑΥΤ.ΚΑ.CΕΠ
CΕΟΥΗΡΟC Π


ΕΠΙ CΤΡΑ ΚΛ ΡΟΥΦΙ ΝΟΥ CΟΦΙCΤΟΥ
CΜΥΡΝ


ΝΕΩ
ΚΟΡΩΝ
ΕΦΕCΙΩΝ


ΕΠΙ ΚΡΙCΠΟΥ.ΑΡΧ
CΑΡΔΙΑΝΩΝ ΔΙC
ΝΕΩΚΟΡΩΝ





Tab. XXXVII














ΛΕΟΝΤΙΝΩΝ
ΑΡΧ Ε ΥΦΙΑΝ ΤΙΚΟΥΡ
ΑΥΤΟΚΑΙ Μ ΑΥΡΗΛ ΑΝΤΩΝΙΝΟC
ΑΥΤΟ Κ Μ ΑΥΡ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC
CΤΡΑΤΩΝ

Tab. XXXIX













Tab XL


ΑΥΤΟΚΡΑ ΚΑΙΣΑΡ Μ ΑΥΡ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ ϹΕΒ
ΕΠΙ ΣΤΡ ΚΟΡΝΗΛΙ
ΡΥΑ
ΠΕΡ
ΗΙ
ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ
ΕΠΙ ΣΤΡΑ


Tab XLI



ΑΥΤ Κ Μ ΑΥΡ C ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC CΕΒ
ΚΟΙΝΟΝ ΘΡΑΚΩΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ ΠΥΘΙΑ ΕΝ

Tab XLII



Tab. XLIII.


ΑΥΤ ΚΑΙ Μ ΑΥΡ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ
ΚΛ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ
ΠΕ Ρ
ΑΜΗ ΝΩΝ
ΟΚΟΡΩΝ


ΑΥΤ Κ Μ ΑΥΡ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ
ΟΜΟ
ΝΟΙ
Α
ΕΟΓΕΝΙΚΟΥ



Tab XLIV.



Tab XLV.



Tab. XLVI.



Tab. XLVII



Tab X L VIII


A K M AYP ANTΩNEINOC
ΕΡΥΘΡΑΙΩΝ
IMP.SEV.ALE XANDER.AVG
ADLOCVTIO AVGVSTI
BYZAN TIΩN

Tab. XLIX.



Tab. L.




Tab. LI.


ΜΑΞΙΜΟϹ
ΑΥΤ Κ Γ ΙΟΥΛ ΟΥΗ . ΜΑΞΙΜΕΙΝΟϹ ϹΕΒ
Π Π
ΤΑΡϹΟΥ . ΜΗΤΡΟΠΟ
Β
Α Μ Κ Γ
ΑΜ Γ
Κ Β
ΤΑΡϹΟΥ
Α ΜΚ
Γ
Β
ΜΗΤΡΟ

Tab. LII.



Tab. LIII



Tab **LIIII**



Tab. LV.



ΑΥΤ·Κ·Μ·ΑΝΤ·ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ·ϹΕΒ
Π Π
ΤΑΡϹΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ
Α Γ Μ Κ Β
ΑΥΤ·Κ·ΑΝΤ·ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ·ϹΕΒ
Π Π
ΤΑΡϹΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ
Α Μ Κ Γ Β
ΤΑΡϹΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ
Α.Μ.Κ.Γ Β

Tab. LVI.


ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ
Α Μ Κ Γ Β
ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΟΣ
Α Μ Κ Γ Β
IMP.CAES.M.ANT.GORDIANVS.AVG
CAES.ANTIOCH.COL
S.R
M.ANT.ΓΟΡΔΙΑΝΟC.KA


CONCORDIA AVGVSTORVM
P M TR P III COS P P
CONCORDIA AVGVSTORVM
VICTORIAE AVGVSTORVM
VOTIS
X

Tab LVIII


CONCORDIA AVGVSTORVM
PONTIFEX MAX TR P IIII
COS II PP
CONCORDIA AVGVSTORVM
SAECVLVM NOVVM
PIETAS AVGVSTORVM
III ET II COS
MARCIA OTACIL SEVERA AVG

Tab. LIX



ΑΥΤ.Κ.Μ.ΙΟΥ.ΦΙΛΙΠΠΟΝ.ΕΥϹ.ϹΕΒ
ΤΑΡϹΟϹ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΟϹ
Β
Α Μ Κ Γ
ΜΑΡΚ.ΩΤΑΚ.ϹΕΒ.ΗΡΑ.ΑΥ.
ΕΠ.ϹΤΑ
ΠΕΡΗ
ΙΟΥ.ϹΕΥΗΡ
ΝΩΝ

Tab LX



M.IVL.PHILIPPVS.NOBIL.CAES.


PRINCIPI.IVVENTVTIS


M.IOVΛ.ΦΙΛΙΠΠΟC.KAI


IЄΡΑΠΟ ΛЄΙΤΩΝ


IMP.C.M.Q.TRAIANVS.DECIVS.AVG


FELICITAS.SAEC

Tab LXI.


VICTORIA AVG.
AYT.K.Γ.MЄ.KY.TPAIANOC.ΔЄKIOC
CAMIΩN.ΠPΩTΩN.IΩN
IAC.
EREN.ETRVSCILLA.AVG.

Tab LXII


HERENNIA ETRVSCILLA AVG
PVDICITIA AVG
S C
PRINCIPI IVVENTVTIS
S C

Tab LXIII.


IMP CAES VIBIVS TREBONIANVS GALLVS AV
IVNONI MARTIALI
VOTIS
DECENNA
LIBVS
S C
IMP GALLVS AVG IMP VOLVSIANVS
FORTVNAE REDVCI

Tab. LXIIII


IMP.CAE.C.VIB.VOLVSIANO AVG
VIRTVS AVGVSTORVM
IMP.CAE.C.VIB.VOLVSIANO AVG
LIBERALITAS AVG G
S C
IMP.C.P.LIC.VALERIANVS P F AVG
MONETA AVG G

Tab LXV.


IMP.C.P.LIC.VALERIANVS P.F.AVG.
ORIENS AVGG.
S C
IMP.C.P.LIC.VALERIANVS.P.F.AVG.
CONCORDIA AVGVSTORVM
ΑΥ ΚΑ ΠΟΛΙΝ
ΚΑΙϹΟΒΟΥΛΟϹ
ΘΥΡΕϹΙΝ


Tab LXVI.



Tab LXVII


IMP·GALLIENVS·P·F·AVG
ADLOCVTIO·AVGG
GALLIENVS PIVS·FEL·AVG
FORTVNA·REDVX
IMP·GALLIENVS PIVS·FELIX·AVG


Tab. LXVIII.


CONCORDIA AVG
AEQVITAS PVBLICA
CONCORDIA AVGVSTORVM
ADVENTVS AVG
CORNELIA SALONINA AVG
IVNO REGINA

Tab LXIX


DIVO CAES VALERIANO
CONSECRATIO
ΙΕΡΟC
ΑΤΤΑΛΕΩΝ
ΟΛΥΜΠΙΟC
ΟΙΚΟΥΜΕ
ΝΙΚΟC

Tab LXX.



Tab LXXI

Tab. LXXII.


SOL.DOMINVS.IMPERI.ROMANI.
AVRELIANVS.AVG.CONS.
IMP.C.M.CL.TACITVS.P.F.AVG.
RESTITVTAE
IMP.C.M.ANN.FLORIANVS.AVG.
MONETA.AVG.

Tab LXXIII


IMP.C.PROBVS.INVICTVS.AVG
SOLI.INVICTO
IMP.C.PROBVS.INVICT.P.F.AVG
MONETA.AVG
IMP.C.PROBVS.P.F.AVG
MONETA.AVG

Tab. LXXIV



IMP.C.PRO BVS.P.F.AVG.


IMP.PROBVS.P.F.AVG.


PROBVS.INVICT.AVG.


PROB VS.AVG.


PROBVS. P.F.AVG.


VOT.PAX

Tab LXXV


M.AVR.CARINVS.NOB.C
MONETA.AVG.
CARINVS.AVG.
DIOCLETIANVS.P.F.AVG.
MONETA.AVGG.
DIOCLETIANVS.P.F.AVG.

Tab LXXVI.


IMP.C.C.VAL.DIOCLETIANVS.P.F.AVG.
MONETA.IOVI.ET.HERCVLI.AVGG.
IMP.C.M.AVR.VAL.MAXIMIANVS.P.F.
MONETA.IOVI.ET.HERCVLI.AVGG.
VIRTVS.MAXIMIANI.AVG.
MONETA.AVGG.

Tab. LXXVII.


IMP.C.M.VAL.MAXIMIANVS.NOB.CAES
MONETA.AVG
D.N.CONSTANTIVS.P.F.AVG
VIRTVS AVGVSTI N
CONSTANTIVS.P.F.AVG
VRBS ROMA

Tab. LXXVIII



Tab LXXIX



Tab LXXX


CONSTANTINVS MAX. AVG
SECVRITAS AVGVSTOR
PP
D.N.FL.CONSTANTINVS AVG

Tab LXXXI




Tab. LXXXII


CONSTAN TINOPOLIS
VICTORIA AVG N N
VICTORIA AVG
CONSTANTINVS IVN NOB C


Tab. LXXXIII


D.N.CONSTANTINVS.IVNIOR.NOB.C.
SACRA MONETA VRBIS



D.N.FL.CONSTANS.AVG.
ROMA BEATA


D.N.CONSTANTIVS.AV.
VICTORIA AVGVSTI
R

Tab. LXXXIV


D N CONSTANTIVS P F AVG.
VIRTVS AVG N.


D N CONSTANTIVS AVG.
GAVDIVM RO MANORVM.


IMP CAE MAGNENTIVS AVG.
VICTORIA

Tab LXXXV


IMP.CAE.MAGNENTIVS.AVG
VICTO RIA AVGG
D.N.MAGNENTIVS.P.F.AVG
SALVS.D.N.MAGNET.CAES
A
M
D.N.DECENTIVS.NOB.CAES
VICTORIA

Tab. LXXXVI


D.N.DECENTIVS.NOB.CAES
VICTOR IA.AVG.G.
D.N.FL.CL.IVLIANVS.P.F.AVG.
SECVRITAS REIPVB.
AQVIL.P
D.N.IOVIANVS.P.F.AVG.
VRBS ROMA

Tab. LXXXVII


D.N.VALENTINIANVS.P.F.AVG.
RESTITVTOR REIPVBLICAE
R P
D.N.VALENTINIANVS.P.F.AVG.
VRBS ROMA
D.N.VALEN S.P.F.AVG.
RESTITVTOR REIPVBLICAE
R P


Tab. LXXXVIII




Tab LXXXIX


D.N.IVSTI NIANVS P.P.AVG
D.N.THEODA HATVS REX
VICTORIA PRINCIPIS
S C
D.N.MAVRI TIBER P.P.AVG
ANNO
KYZ

Tab. LXXXX.




M·AGRIPPA·L·F·COS·III
S C

LXXXXII.


L.VERVS.AVG.ARM.PARTH.


TR.P.VIII.IMP.IIII. COS.III



L.VERVS.AVG.ARMENIACVS.IMP.II.TR.P.




M.AVREL.COMMODVS.ANTONINVS.AVG


TR.P.VIII.IMP.V.COS.IIII.P.P.

A-P
8611.
TIII OT-




SPECIAL OVERSIZE
87-B 391F v.34
THE GETTY CENTER LIBRARY

